fectioreſque fiamus. Verum ut adeo ſanctæ exercitationis naturam, & utilitatem rite aſſequamur, id unum conſiderare ſufficit, cum libri facti ſint ad hominum doctrinam, atque ut ea doceantur, quorum cognitionem cupiunt acquirere ſcientia, quæ ex libris diſcitur, varia eſt, pro varietate argumentorum, quæ ab illis tractantur. Quamobrem quemadmodum Medicus artis ſuæ libros legens ſcitus fit, & peritus Medicus, ita Chriſtianus Aſceticos legens libros animo erudiendi, & efficiendi ea, quæ diſcit, fit Aſceticus, in ſalutis via magis perſpicax, in Dei cultu magis fervens, atque in religionis, ſtatuſque ſui officiis obeundis magis fidelis, in quo ſcientia ſanctorum conſiſtit. Itaque non ſecus ac omnibus in Regnis Academiæ ſunt ad omnes ſcientias ediſcendas inſtitutæ, ita & in Eccleſia, quæ eſt quodammodo Jeſu Chriſti lycæus, percipitur ſcientia ſalutis; & Scripturæ, aliique pii libri totidem ſunt præceptores doctiſſimi, integerrimique, qui licet muti, non minus ſcientiam hanc adeo neceſſariam nos docent, quam Concionatores, & Confeſſarii concionibus, atque hortationibus ſuis.

Varia librorum genera, & varius eorum efficiendus uſus.

In tanta hac librorum copia, qui omnibus ſæculis fuere conſcripti, & quibus univerſus terrarum orbis repletus eſt, ſciendum eſt tres eſſe eorum ſpecies, vel illos in tres claſſes eſſe dividendos. Alii nullo in diſcrimine ſunt, hoc eſt qui neque ſanctiores, neque perfectiori non faciunt; hujuſmodi ſunt libri ſcientifici, philologici, hiſtorici, opera nova, & vetera, qui mentem dumtaxat recreant aliquid, quod ad vitam noſtram inſtituendam, informandamque conferat, verbo cum in bonum uſum converti poſſunt, in bonorum claſſem ſunt admittendi. Quidam ſunt omnino mali, pernicioſi, vel periculoſi, quorum alii quidem mores corrumpunt, alii vero religionem impugnant. Prioris generis ii ſunt, qui licentiæ amorem inſpirant, qui de impudicis rebus agunt, libelli diffamatorii, ſatyrici &c. alterius vero libri impii, hæretici, qui damnabiles continent curioſitates &c. Quamplures etiam adſunt boni, utiles, nobis ſanctificandis apti, quales ſunt Aſcetici, qui docent, vel exponunt chriſtianas veritates & Evangelii inſtituta, quos proprie ſpirituales dicimus, & quorum lectio ſatis umquam commendari non poteſt.

Electio librorum facienda.

Libros cognoſcere non levis eſt ſcientia, neque mediocris prudentia eorum electionem habere; ſed inſignis felicitas eſt bonum invenire librum inter tot malos, atque inutiles, quorum copia in infinitum prorſus excrevit. Etenim quemadmodum nonnumquam unus ſatis fuit malus, hæreticuſque liber ad Civitates, integraſque nationes corrumpendas, ita unus tantum ſatis eſt ad plurimos peccatores convertendos, atque inextimabilem fructum referendum. Hæc autem electio facienda eſt non ſolum ad evitandum periculum, ne mali alicujus libri lectione prævertamur, verum etiam ad præferendum inter Aſceticos illum, ex quo pro noſtra diſpoſitione, ſtatu, officio uberiorem recipere fructum poſſumus; qua in re ſapientis, prudentiſque confeſſarii monitum ſequi tutiſſimum eſt. Nam præterquamquod omnes haberi, omneſque legi non poſſunt; neceſſarium, immo utile etiam non eſt plurimum legere, ſed ea, quæ lecta fuerunt, diligenti cura perpendere, & per otium meditari graviſſimas veritates, quas bonus liber nos docet ut eas in praxim redigamus; quod ſi deſit, lectio ut plurimum inutilis eſt.

Omnes liber boni a Deo inſpirati fuerunt.

Dicere poſſumus, immo credere etiam debemus omnes bonos libros nobis a Deo miſſos fuiſſe tamquam magiſtros, a quibus edoceremur; hi ſunt ſubſidia quædam, vel externæ gratiæ non ſecus ac prædicationes, bona exempla, & boni ſermones, quos audimus; & ratio eſt, quia ſi dona qualibet, quæ bona ſunt, deſurſum ſunt, & a Patre luminum, ut inquit Apoſtolus; quis ambigere poteſt, utrum boni libri, qui continent veritates, & dogmata ad vitæ noſtræ rationem inſtituendam, moreſque corrigendos neceſſaria, cœli ſint dona? Cumque Deus vulgo exterioribus gratiis interiores adnectat, quis dubio locus, quo minus boni libri ſint veluti rivus earum, ideoque magna ad ſalutem noſtram ſubſidia? Hac de cauſa a nonnullis Sanctis Patribus vocantur Epiſtolæ nobis a Deo miſſæ.

Quibus in rebus Aſcetici libri ſermonibus præſtent.

Quemadmodum ſingularia nos magis movent quam generalia, & univerſalia, juxta Philoſophorum adagia, ſequitur, Aſceticos libros, qui in iis quæ ad mores pertinent magis ad particularia deſcendunt, & ad quemlibet legentem ſingillatim loquuntur, & nullius rationem habent, hac re ſermonibus præſtant, quibus omnia generatim attinguntur, & quæ nemo ferme applicat ſibi. Inde vero eorum magis patet utilitas, quod qui illos præ manibus habet, eoſdem ubi voluerit, & vacaverit, conſulere poteſt, lecta ad trutinam diligentius revocare, lectionem intermittere, ac rurſus ad illam reverti; ita ut bonus liber ſit Concionator domeſticus, ſemperque paratus ad nos erudiendos, quin nobis vel blandiatur, vel incommodet.

Librorum qui de controverſiis agunt, non omnibus indiſcriminatim lectio permittenda.

Ex iis, quæ vel hactenus a nobis dicta ſunt, vel ſunt deinceps dicenda de bonis lectionibus, nequaquam inferendum eſt omnes bonos libros indiſcriminatim eſſe legendos. Libri, qui fidei inimicos refellunt, ſunt veluti armamentaria, ubi Theologi eligunt arma ad Dei, & Eccleſiæ inimicos infringendos; eorumque lectio non eſt indiſcriminatim permittenda; plurimi enim ſeipſos vulnerarent, illa attrectantes arma, quæ minime norunt. Hoc ipſum dicendum de plurimis Sacræ Scripturæ libris. Hi proculdubio librorum omnium ſunt optimi, & antomaſtice Sacra Biblia vocantur; attamen nonnulla Concilia eorum lectionem promiſcue negant permittendam. Et nonne mirum eſt, quod Eccleſiæ adverſarii adeo vehementer contra hoc interdictum exurgant, quandoquidem nequeunt diffiteri, Marcionitas, Manichæos, Arianos, Neſtorianos, Pelagianos, alioſque ſectarios, quos veluti Hæreticos, & fatentur, & damnant, aberraſſe male interpretando, quod adeo bene ſcriptum eſt? Meminiſſe opus eſt, ſolida obſonia parvulis, ægriſque negari non tamquam mala ex ſe, quandoquidem nemo unus bonas eorum qualitates ignorat, ſed quia ægrotantium indiſpoſitio bonos, optimoſque cibos in malum converteret.

De malis prohibitiſque libris.

Satis oſtendimus quinam ſint libri mali, & pernicioſi ſeu contra religionem, ſeu contra bonos mores. Addendum eſt dumtaxat, libros, quos in Tridentini Concilii indice recenſentur non eſſe ſolos, quorum lectio vetita ſit. Index ille quoſdam dumtaxat complectitur libros poſt annum milleſimum quingenteſimum decimum quintum uſque ad aliquot annos ſubſequentes compoſitos; ſed alii omnes ſeu ante, ſeu poſt Concilium ad hæc uſque tempora editos, prohibiti ſunt, ſi ejuſdem ſint characteris; hoc eſt, ſi ſint fidei, boniſque moribus contrarii; quos etiam ſi nullum vel Generale, vel Provinciale Concilium damnaſſet, propria natura damnantur. Evangelium ne inutilia quidem colloquia permittit; liquet ergo damnari criminoſa, ſive cum viventibus, ſive cum mortuis habeantur, ſeu cum auctoribus, ſeu cum operibus eorum; niſi aliter officii noſtri poſtulet ratio, vel juſta facultas fuerit impetrata.

Concilia non Hæreticorum tantum libros excommunicant, ſed etiam qui tenent illos.

Notandum quoque diligenter eſt, Conciliis non damnari eos ſolum excommunicationis propoſita pœna, qui hæreticorum libros legunt, & vendunt, ſed eos quoque qui tenent illos; & Pius IV. in Bulla ante indicem libr. prohibit. vulgata declarat, eſſe peccatum mortale non ſolum legere, ſed retinere libros alias ob cauſas prohibitos; & ratio eſt, quod ideo tenentur, ut legantur, quod ſaltem eos legendi periculum perſeverat; quod ubi videntur in memoriam redeunt, quæ lecta fuerant; quod ſcandalum iis præbetur, qui ſciunt illos a nobis retineri; quod neceſſario in alias manus migrabunt, ſi retinuerimus illos: & quod alii iis vel pejus, vel æque ac nos ipſi male utentur. Quid ergo cenſendum eſt de eorum auctoribus, qui illos conſcribunt, de illis, qui eos commodant, ac ex eorum venditione lucrum conquirunt?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Commodum, ac ſuavitas cum libris converſandi.

SUavis, jucundaque homini ſcito, & ſenſato converſatio eſt habere libros, & cum ſæculorum omnium ſapientibus loqui. Quamvis illi non loquantur amplius, non ceſſant tamen nos utiliter erudire, nobiſque ignorantiam noſtram oſtendere, quin ullo nos rubore ſuffundant. Plurima quidem a viventibus diſcere poſſumus, verum aliqua ſemper cum verecundia; eo quod ignoramus ea, quæ homini ætatis, ſtatuſque noſtri ignoranda non eſſent; & ſæpe pavor noſter talis eſt, ut aliquid neſcire malimus, quam illud ex aliquo exquirendo, noſtram inſcitiam palam fateri. At cum mortuis hic pavor abeſt; libere ad illos confugimus; illos rebus in omnibus conſulimus, quin erubeſcamus, & quodcumque monitum ab illis recipiamus, nobis tamen integrum eſt id credere, & facere, quod e re magis futurum cenſemus. Si noſtros nobis defectus aperiunt, id ſine ulla exaggeratione peragunt; ſi nos commendant, omnis procul abeſt adulatio; ſi nos corripiunt, nulla intereſt acrimonia; cupiditate, quæ nullum umquam bonum conſilium tradere didicit, & animi ægritudine quæ ſemper oſtendit res aliter, quam ſint, non afficiuntur; ſi malum,

quod

quod in nobis eſt, oſtendunt, id agunt, ut nos eodem liberent; unaque eorum mens eſt efficiendi, ut veritatem intelligamus. Adde, quod converſatio, quam cum illis habemus ſuper eo, quod ipſi cupimus argumento, tantum durat, quantum nobis lubet, eo tempore, & hora, quæ nobis lubet; eamque, ubi, & quoties lubet, nobis interrumpere integrum eſt: *Liber cui titulus Familia Sancta tomo 2. cap. 2. §. 3.*

Utilitas, quæ ex lectione eorum potiſſimum percipitur.

Quemadmodum converſatio, ac frequens cum ſapientibus colloquium plurimum de pravo ingenio noſtro tollit; ita lectio bonorum librorum plurimum ad ingenium noſtrum excolendum conducit. Non deſunt homines ita violenti, cum quibus æque ac cum feris tractare timemus; tantum illis paſſionis ineſt, rationis vero, honeſtatis, ac humanitatis parum adeo, ut nihil humanum præter figuram habere videantur. Hujus autem adeo ferocis ingenii flectendi, molliendique non aliam meliorem invenio viam, quam bonorum librorum lectionem: ſi enim ingenio excolendo eorum etiam, qui maxime rudes, durique ſunt, aliquid confert, ſi educationi, & iis, quæ a natura ſortiti non ſumus, abunde ſupplet, cur illa ingenii feritatem non flectat? Itaque fatendum eſt hanc non eſſe minimam, quæ inde percipiatur, utilitatem: verum quod inde non hauritur ad vitæ noſtræ regimen, atque in graviſſimis negotiis auxilium? Quam maxime intereſt hominis illius, qui in mundi hujus commercio verſatur, noſſe ea, quæ ſæculis ſuperioribus contigerunt? Si in certo rerum ſtatu ab aliis erratum fuit, poterit aliquis ſimili in occaſione ab erroribus ſibi cavere: videbit conatus hos ſemper in irritum ceſſiſſe, atque infert, ſibi illis immiſcendum non eſſe. Talis occaſio illis optilata eſt, quibus a voto ſuſcepta ceſſerunt conſilia, non igitur eam mihi patiar elabi, cum ſeſe offeret mihi. Hujuſmodi conſiderationes modico ſtant labore, & plurimum afferunt fructum; eas nobis ſuggerunt libri, & hoc pacto præteritum docet, quid impoſterum faciendum ſit, & egregia nobis ſuppeditat lumina, ut vivendi rationem optime inſtituamus. Sed quodnam ſolatium, quod remedium ibi calamitatibus omnibus non invenitur, quæcumque ſit noſtræ mentis affectio? Triſtis es, ac triſtis aliquis caſus negotium tibi faceſſit? In Aſceticis libris invenies opem, & ſolatium, quo eges, vel ſaltem aliquod doloris tui lenimentum, quo facilius eum feras. Si quam bonorum, amicorum conſanguineorum, vel exiſtimationis jacturam ſubiiſti, libri tibi infinita ſuppeditabunt exempla eorum, qui majoribus affecti fuere curis, quorum in ſimilibus malis perferendis conſtantia tibi animos faciet. Si lectio tibi non aufert mali cogitationem, quod te fortaſſe æquo gravius torquet, ſaltem illud imminuet, tibique etiam fortaſſe perſuadebit illud in imaginatione tua gravius eſſe, quam reipſa ſit. *Idem.*

In ſanctis libris quæritur veritas, quæ in prophanis non repetitur.

Quemadmodum oculi lumen, & guſtus ſapores, ita mens amat veritatem & illam ubicumque perquirit. Libros tamquam theſauros putat, ubi illam contineri arbitratur; eos aperit, & illam inquirit, ſed ſæpe decipitur; mundus enim repletus eſt inutilibus libris, qui ſunt tamquam adulterini lapilli, qui aliquantulum quidem nitent, & veros imitantur, ſed eorum virtutem, ac pretium non habent. Fere numquam aperiuntur libri ſine ſpe vel voluptatis, vel utilitatis, vel utriuſque percipiendæ, & pauci ſunt, qui hoc non polliceantur, & quamdam non præſeferant ſpeciem. Sed mens, quæ repleri geſtit, ibi non inveniens, quod quærit, quam primum faſtidit; veritatis famelica eſt, ſed omnes licet prophanos libros evolvat, nihil ibi ſolidum invenit, cui poſſit inniti, & quod ideo illi ſatisfacere valeat. Hac de re olim conquerebatur Sanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 25. Quæ triſtitia inquieto ſpiritui, qui ſollecito veritatis premitur deſiderio, cum poſtquam cum labore diu illam in Ethnicorum philoſophorum ſcriptis conquiſivit, quod fecerat ſummus ille vir, nihil invenit, quod ſibi ſatisfaciat, & laboris temporiſque ſe feciſſe jacturam cognoſcit. Si laboris partem in ſanctorum librorum lectione impendiſſet, ſolidas ibi nactus eſſet veritates, repleſſet, & ſaginaſſet ſpiritum ſuum, ac inde egreſſus eſſet voti ſui compos magis quam eſuriens, qui e convivio exquiſitiſſimis inſtructo dapibus, quibus abunde ſaturatus eſt, diſcedit. *P. de Argentano Capuccinus libro de Magnalibus Dei, Collatione tertia in operis concluſione.*

Non omnino prophanorum librorum lectio inutilis eſt.

Dicitur Moyſes, cujus adeo celebris ſapientia eſt, in omnibus Ægyptiorum ſcientiis ſeſe exercuiſſe, ac illis tot veluti gradibus uſus ad divinam cognitionem perveniſſe: eorum igitur libros evolverat. Sæculis inſequentibus Daniel Babylone captivus ſub Chaldæis magiſtris ſtuduit, antequam ſacris ſcientiis operam daret; & Sanctus Paulus oſtendit poetarum lectionem a ſe nequaquam fuiſſe neglectam, cum in Areopago quoſdam eorum protulit locos. Ita (Sanctus Baſilius inquit) ſcientiis prophanis, ac librorum de iiſdem agentium lectione noſmet præparare debemus, antequam ſacrum ſcientiarum adyta penetrare velimus. Vivis hiſce luminibus aſſueſcemus, quemadmodum Soli reſpiciendo aſſueſcimus ejus in aqua intuentes imaginem. Si ſcientiæ aliquem inter ſe nexum habent, profecto prophanæ ſacrarum cognitionem nobis faciliorem parabunt; ſi nullum habent, earum diſcrimen agnoſcemus illas invicem comparantes, quæ comparatio optimæ electioni efficiendæ poterit inſervire. *Abbas de Bellegarde in Collatione ſermonum S. Baſilii, ſermone de librorum prophanorum auctoritate.*

Sacrorum librorum lectio hodie negligitur.

Miſerum profecto, jugibuſque lacrymis deflendum eſt, hoc litterarum, librorum ſæculo, nullum vulgo ſtudium ita contemni, ut ſacrorum Bibliorum, in quibus conſcientiæ, divinique verbi doctrina continetur. Vitium, atque mendacium in amatoriis fabulis recens editis plurimos ſemper nanciſcitur lectores, immo & admiratores, quos corrumpat; veritas autem, & pietas in ſanctis libris adeo paucos inveniunt, qui eorum legendorum curam ſuſcipiant, ut proficere poſſint. Pravus hic guſtus mollium, inertiumque animarum eſt ægritudo, ſimilis infirmis puerorum ideis, qui propter ludicrum, & pueritiæ quidpiam dolent. Verum inde magis obſtupeſco, quod video pertinaciam, pravumque horum hominum guſtum, qui tamquam ſerio occupati creduntur, horum virorum, qui Bibliothecas frequentant, qui libris, atque manuſcriptis codicibus impalleſcunt qui laborant, inſudantque ſterilibus ſcriptis enucleandis, non ſecus ac agricolæ ſterili, & maledictæ terræ exercendæ; quin in ſacris libris inquirant fontem veritatis primitivæ, *diſcant Sapientiam Antiquarum*, Eccli. 39. vacent ſcientiæ Prophetarum, celeberrimorum Patriarcharum hiſtoriam evolvant, & uti Eccleſiaſticus loquitur; *in ſecreta parabolarum ingrediantur. P. Bonal in Chriſtiano temporis l. 1. cap. 15.*

Theſaurus, quem in ſcripturis ſanctis habemus, & bonum, quod inde percimus.

Quid ſanctificationi noſtræ magis prodeſſe poteſt, quam ſanctorum cognitio librorum, in quibus ſola, & vera continentur bona, quibus, tamquam inexhauſtis omnium gratiarum, & benedictionum theſauris, & veluti copiæ infinitæ in defectibilibus fontibus animæ noſtræ poſſunt locupletari? Hoc eſt ſubſidium, quod a divina largitate percepimus quo omni tempore cum ſummo fructu uti poſſumus in innocentia, & peccato in tentatione, & quiete, in bona, & infirma valetudine, in bello, & in pace, malacia, & tranquillitate æque ac in tempeſtate, & naufragio; & de ſacro verbo dicere poſſumus, quod his libris continetur id, quod de ſeipſo Jeſus Chriſtus ait: *Ego ſum via veritas, & vita.* Et ſane nonne via eſt, quandoquidem viam nobis oſtendit, qua incedendum eſt, atque nos illuminans prohibet, ne eamdem ſequentes aberremus. Nonne veritas eſt, quandoquidem ſanctas complectitur veritates, quas indeſinenter meditari debemus, & quiſquis tamquam cœleſti eſca infinitæ bonitatis, atque virtutis nutriri debemus? Vitam vero eſſe quis credere nequit, quandoquidem vitam impertit omnibus eamdem fidei, vivæque pietatis ſenſu recipientibus? *Abbas Trappenſis Collatione pro ſecunda Adventus Dominica.*

Nihil nos ad perfectionem, & ſanctitatem magis debet excitare, quam lectio ſacræ ſcripturæ.

Numquam ſatis hortari vos poſſum (animæ Chriſtianæ) ut indeſinenter ſanctæ huic lectioni vacetis, certus enim ſum nulla re vos tutius, & celerius poſſe ad perfectionem attolli, ad quam Dei juſſu evocamini. Divinum hoc verbus univerſam ſanctificavit Eccleſiam; martyres ibi invenerunt robur illud invictum, quo de tyrannorum furore, ac rabie retulere triumphum: doctores ibi nacti ſunt lumina, & cognitiones, quibus indigebant, ut populos erudirent; & cœnobitæ inde hauſerunt angelicam puritatem, inſuperabilem in auſteritatibus patientiam, & rerum omnium fluxarum, fragiliumque comtemptum. De veteri æque ac novo teſtamento loquor; licet enim hoc pluribus in rebus illi præſtet, attamen in priori quoque omnes fundamentales religionis virtutes inveniuntur. *Idem.*

De bonorum librorum lectione; & quomodo facienda ſit.

Quamquam omnium Aſceticorum lectio librorum per ſe ſanctiſſima ſit, atque utiliſſima, attamen talis eſſe ceſſat, cum non ſit ſecundum ordinem, ſtatutaſque regulas; videlicet, ſi fiat feſtinanter, cum curioſitate, & animo poſitus ſibi ſatisfaciendi, quam ſeipſum illuminandi, atque erudiendi; & eædem veritates, quæ cum neceſſariis præparationibus pertractatæ, & receptæ in animabus infinita producerent bona, nihil ferme ibi pariunt, vel etiam malum tantummodo gignunt propter pravas circumſtantias, quæ in illis occurrunt. Quantumvis optima ſit eſca, quam præbes ægro, quamvis ejuſdem temperamento, imbecillitati ſtatuique par; ſi nimia ſumatur aviditate, ſi non antea be-

tea bene manſa, neque ore apte præparata, ita ut ibi prima veluti digeſtio fiat, deglutiatur; ſi offas offis agglomerat, quin aliud quærat, quam ſuam famem explere, ſtomachum lapidibus, & ſilicibus onerat, & caro hæc licet ſalubris, & levis ægritudinem illius graviorem efficiet. Hoc ipſum dicendum eſt de veritatibus, quæ in libris continentur: ſi illas ſine meditatione, & conſideratione feſtinanter perlegis, quin eaſdem guſtes; ſi non alia tibi mens eſt, quam onerandi memoriam tuam, tantum abeſt quod in anima tua ſanctiores diſpoſitiones immittas, eamque meliorem efficias, ac aptiorem quæ ſequatur ea dogmata, quæ tanta cum pernicitate legiſti; ut potius mentem tuam diſſipent. Anima tua languidior fiet, aridior, majori ſiti, & eſurie laborabit, quia tempus illi defuit, quo inde ſuccum, & alimoniam perciperet. *Idem collatione pro prima poſt Epiphaniam Dominica.*

De libris hæreticis, qui in religionis materia licentiam inſpirant.

Quemadmodum non deſunt optimi libri, optimeque orthodoxi, qui pietatem inſpirant, & quibus non alius finis eſt quam virtus, hominumque profectus: ita & pernicioſiſſimi, peſſimique adſunt libri, qui calici meretricis Apocalypſios, vel Circis comparantur, ex quo nemo bibit, qui non ſenſum, & rationem amittat. Inter eos, qui periculoſiſſimi habentur, quia ſunt in ſummo gradu nequitiæ, recenſentur hæretici, & in materia religionis laxiores, quibus addendi illi omnes qui non ſunt ab omni novitatis ſuſpicione vacui in iis, quæ referuntur ad fidem. Idem ſpiritus, quo animantur, in eorum libris etiam invenitur; qui eos legit eorum tabem recipit, & ſæpe inficitur prius, quam ſibi ab iis cavendum agnoverit. Inde vero virus hoc adeo præſens, & mortale, vel ſaltem adeo periculoſum efficitur, quod tanta arte, & dapibus ita exquiſitis immiſcetur, ut cum voluptate ebibatur. Illud jam opotatum fuiſſe ex præſumptione, & multo magis ex pertinacia cognoſcitur; efficit enim, ut ad contemptum uſque procedatur; & propriis etiam inſtitutoribus, ac magiſtris obſiſtatur. Qui illud ebibit, ſeſe præceptoribus ſuis parem putat, & qui ab aliis docendus eſſet, tamquam Pythius Apollo haberi vult, & quidquid effutit, vult ab omnibus inſtar oraculi haberi. Si aliis plus lectionis permittit, ſibi auctiorem ingenii vim arrogat, qui primo ſtatim obtutu omnem difficultatem aſſequatur. Ita mendacium triumphat, & quia tectum eſt inductumque magnificis verbis, venutiſque locutionibus, ab inſciis, & imperitis tamquam veritas eſſentialis exiſtimatur. Qui ab adeo periculoſo veneno præſervari cupit, numquam ſimiles libros videre debet: omnia enim ibi contagionem perflant, & nemo citra periculum attingit humum, ubi anguis ſuum virus effudit. *Liber, qui inſcribitur; Familia ſancta, tomo 2. cap. 11. §. 9.*

Obligatio legendi, & meditandi ſcripturas Dei legem continentes.

Dei lex in ſanctis veteris, novique teſtamenti ſcripturis continetur, eaſque legentes, & meditantes divinam nobis miſericordiam promeremur. Qui Dei legem meditatur aſſidue, hic, S. Ambroſius *in Pſ.* 118. *ſerm.* 10. ait, certus eſſe poteſt, ſe præſentem ſemper habere gratiam, qua vivat in æternum: *Beatus vir.. qui in lege ejus meditabitur die, ac nocte.* Pſ. 1. Qui legem meditatur, per legem docetur, & a Deo ipſo legis auctore eruditur: ita ut doctrina, quam a lege recipimus, cum ſit immediate a Deo per ſanctorum librorum lectionem, jam quoddam ſit beatæ vitæ principium. Ideo, S. Auguſtinus inquit, quotidie in Eccleſia legis libri, & ſacra Biblia leguntur; nondum enim ad ſublimem hanc ſcientiam pervenimus, quæ replet corda, & ſpiritus eorum, qui illam palam contemplantur. Eadem ex cauſa alii Sancti Patres hortantur ut indeſinenter ſacram Scripturam legamus, & S. Joannes Chryſoſtomus lectionem hanc ita neceſſariam exiſtimat, ut neque illos diſpenſet, qui ſæcularibus ſunt dediti negotiis, atque mundi hujus commercio impediti, *Moralis chriſtiana in* Pater *tractatu ſecundo præliminari.*

Diſpoſitio quæ requiritur in legente ſcripturas, alioſque Aſceticos libros.

De lectione idem eſt ac de oratione; Inutilis eſt, & fructu vacua, niſi fiat uti oportet. Neſcimus, inquit Apoſtolus, quomodo orandum ſit, & quid in oratione petendum; ſed Spiritus ſanctus orat pro nobis, videlicet nos orare facit gemitibus inenarrabilibus, quos verbum nequit exprimere. Ideoque antequam lectio ſuſcipiatur, Spiritus ſanctus precibus invocandus eſt, ut illius lumine illuſtrati, nobis per meditationem applicemus, quæ legentur. Itaque verum erit dicere, nos a Deo doctum iri, nobiſque hæc Pſ. 93. verba applicari poſſe. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, Idem.*

Elogium libri Evangeliorum.

Ex toto ſacrorum Bibliorum corpore, liber, qui Chriſtianos maxime deceat, & audeo dicere, qui prorſus illis ſit neceſſarius, ille procul dubio eſt, qui ſanctum continet Evangelium, quod regula eſt, quæ nobis præſcripta fuit, & ſecundum quam vivere decrevimus; cum Jeſu Chriſti legem profeſſi ſumus. Divinus hic liber eſt oraculum, quotidie in neceſſitatibus, & difficultatibus conſulendum; per quod Dei filius nobis de cœlo loquitur, noſque de noſtris edocet officiis. Hoc illud teſtamentum eſt, quod nobis Pater noſter reliquit, per quod extremam voluntatem ſuam nobis aperit, & ideo quod jugiter ob oculos, interque manus habere debemus. Hoc novum dicitur, quia immutabile eſt, & numquam veteraſcit, permanens uſque ad temporum finem idem, quod fuit ab initio. Semper novum eſt, quia verba, quibus conſtat, ſpiritus, & vita ſunt, ac nos penitus renovat in Jeſu Chriſto cor novum, novumque ſpiritum tribuens; & temporum decurſu tanto magis novum erit, quo magis, magiſque creſcemus in vita nova, quam nobis Spiritus Sanctus inſpirat. *Idem.*

Quinam libri legendi ſint.

Habemus ſanctorum Patrum ſcripta, totque alia pietatis opera omnibus conſcripta ſæculis a pluribus viris ſanctitatis laude florentibus, quos colit Eccleſia, & qui fidelium omnium laudes promeriti ſunt tum doctrinæ, cum virtutis præſtantia, & qui omnium manibus evolvuntur. Inter ſanctos libros, qui a nobis legendi ſunt, recenſeo tractatus Aſceticos, non ab Eccleſiæ Patribus ſolum, verum etiam ab aliis ſanctis viris conſcriptos; hi quippe, ut ita dicam, ſunt totidem Evangelii interpretes, per quos nobis loquitur Deus; & quemadmodum illos ſpiritu ſuo Deus replevit, cum ſcripſerunt ea, quæ nobis ſcripta reliquerunt; quodammodo dicere poſſumus de illis, quod de antiquis Patribus, quorum mentio fit in Scripturis, S. Gregorius ait, illos eſſe veluti tot organa, per quæ loquitur Deus, cum illorum verba, & facta leguntur. Cum itaque tot nobis valida ſuppetant ſubſidia, liquet, Chriſtiano de ſua ſalute ſollicito aliquam temporis ſui partem piorum horum librorum lectioni eſſe impendendam; verum lectio eo modo, quo opus, inſtituenda eſt, ut aliquis inde fructus percipiatur. *Idem.*

Neceſſitas bonos libros legendi.

Sancti, Aſceticique libri, Pater quidam ait, ſunt veluti Epiſtolæ, quas ſcripſit Deus, & ad homines miſit; hæ igitur Epiſtolæ ſunt legendæ, ut quid a nobis Deus quærat, intelligamus. Dei verbum, quod continent, vel in ſacris Bibliis expreſſum, vel in aliis voluminibus explanatum, eſt veluti robur, & cibus animæ; ita hos legens libros anima ſuum panem ſumit, & comedit, ut loquitur David; quo ſi negligat veſci, fieri nequaquam poteſt quominus langueat, atque hoſtium ſuorum conatibus cedat. Unica ſæpe ſcripturæ vox ſufficit, ut magnos in anima edat effectus, quod S. Auguſtino, aliiſque plurimis accidit. *Auctor Anonymus.*

Ethnicorum libri abſolute non prohibendi.

Nimia ſeveritas eſſet pueris Ethnicorum libros prorſus interdicere, quia plurima admodum utilia in iis continentur: verum opus eſt, ut magiſter illos chriſtianos efficere noverit eo modo, quo illos explicabit. Non deſunt in horum ſcriptis ſententiæ quædam, quæ prorſus veræ ſunt, & iſtæ per ſe chriſtianæ ſunt; omnis enim veritas a Deo eſt, & pertinet ad Deum. Illæ igitur ſimpliciter approbandæ ſunt, atque oſtendendum, religionem chriſtianam eas longius provehere, earumque veritatem melius ob oculos ponere. Non deſunt aliæ, quæ in ore quidem Gentilium falſæ ſunt, & in chriſtianorum ore ſolidiſſimæ, veriſſimæque; hoc autem ſcitus magiſter debet oſtendere Ethnicæ diſciplinæ vanitatem oſtendens, eique ſoliditatem principiorum chriſtianæ religionis opponens. Denique aliæ omnino ſunt falſæ, earumque falſitas perſpicuis, ſolidiſque argumentis eſt oſtendenda. Hoc pacto omnia in libris erunt utilia, iique fient tamquam Aſcetici libri; quandoquidem erroribus etiam, quos continent, utemur ad eas, quæ illis oppoſitæ ſunt, veritates probandas, ac melius oſtendendum cæcitatem, in quam culpa humanum redegit ſpiritum, ac divini luminis neceſſitatem ad haſce tenebras diſſipandas. *Eſſais de morale, tomo 2. ſub finem educationis Principis.*

De malis libris idem dicendum ac de colloquiis pravis, quæ mores corrumpunt.

Corinthiis *in epiſt.* 1. *c.* 15. prohibet S. Paulus ne impiorum audiant ſermones; atque Apoſtoli verba æque notanda ſunt, ac neceſſarium eſt hoc interdictum: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* Hoc ſatis eſſet, ut ab impiorum librorum lectione nos deterreret, quia libri mali ex malis conſtant ſermonibus; verum hoc ſatis non eſt ad nobis omnem immittendum horrorem, quem libri mali merentur; quia eorum lectio malis colloquiis longe eſt pernicioſior, & in corda noſtra majori vi, licet non æque palam, operatur. Quacumque arte homo, qui decipere ſtudet, nos alloquatur, quocumque ardore ſermones ſuos roboret; ſentimus cor noſtrum lædi ex iis, quæ audax nobis proponere adnititur, & neque honeſtas, neque decor ipſe patitur, illum tranquille audiri. Licet ſecretam aliquam foveremus propenſionem in ſcelus, quod ille nobis perſuadere conatur, pudorem omnem abjeciſſe putandus eſt, qui ſine reſiſtentia ei præbet aures; & quamvis memoria retineat, nobiſque repræſentet, quod perditus homo enarravit, omnia tandem delentur, vel imbecillius agunt, cum evitatur occaſio, uti præcipit Deus. Librum vero numquam non ultro legimus; & non contemnendum crimen jam eſt, cum certi ſumus illum eſſe malum, vel ejus legendi auctoritatem nobis non eſſe. Illum citra verecundiam legimus; nos ipſi ſoli hoc ſcimus: mens ita ſuæ vacat voluptati, ut ne animum quidem advertat ad malum, quod operatur; in iis acquieſcit, quæ ſibi placent; primum quidem incurioſius illum percurrit; mox per otium attentius evolvit, inde illum relegit, & guſtat, quidquid ibi ſibi placet, & illinc cum ſumma voluptate omne virus ebibit. *P. Heliodorus Capuccinus ſermone de lectione.*

Libri obſcœni integerrimos etiam corrumpunt.

Adoleſcentula quædam re adhuc integra primas peccati cogitationes magis timebat, quam periculoſiſſimorum morborum acceſſiones; crebro ad Sacramenta accedebat, bonis vacabat lectionibus, nihil antiquius habebat, quam ſalutis ſuæ curam, & ſancta hæc principia feliciſſimum exitum promittere videbantur. Undenam factum eſt, quod modo mundo ſervit, & ſibi fas eſſe putat, quæ minime decent; omnibus voluptuariis cœtibus intereſt, fugit Sacramenta, nullum habet amplius devotionis ſenſum, ac demum nullam vel officii, vel exiſtimationis, vel ſalutis ſuæ curam gerit? Inde ſane, quod librum amatoriis nugis, fabuliſque refertum, quod comœdias legerit. Colloquia validiſſimis condita illecebris nihil profecerant, lectio ſenſim perfecit, quod mundi ſermones fortaſſe nondum incœperant; curioſitas impuritati, ac licentiæ aditum reſervavit. *Idem.*

Mali malorum librorum effectus.

Tertullianus *de carne Chr. c.* 7. ait ſermonem, quo dæmon primam corrupit mulierem, fuiſſe generalem cauſam mortis corporum, & animarum: *Verbum ædificatorium mortis.* Verum poſſumus affirmare, malos libros eſſe perpetua hujus inimici ſalutis noſtræ inſtrumenta, cumque hoc ſcripto, typiſque edito verbo innumeras animas occidione delere. Cum illud diu duret, & vigeat, vaſtitatem hanc afferre non ceſſat: neque pravorum horum effectuum culpa vacatis, ſi quid confertis exiſtimationi, aut venditioni librorum, qui pernicioſæ ſunt cauſæ illorum. In eamdem ſententiam S. Chryſoſtomus *hom. in Gen.* conſpirat, & ait primam mulierem virorum primo, totique poſteritati propinaſſe venenum eo ſermone, quo ipſum allocuta eſt, ut eum ad vetiti fructus eſum induceret; cumque nihil non mortale, funeſtumque concepiſſet eo in colloquio, quod habuit cum dæmone, non aliud parere potuiſſe quam mortem, & inſpirare Adam, quod ſibi in corde fuerat a dæmone inſtillatum. Itaque ne dubites infamem hunc librum, hunc impium librum animæ tuæ, amicorumque tuorum, quibus illum commodaveris, mortem futurum; virus ab eorum manibus in cor eorum migrat; ſervique tui, qui ſe illum legentem videbunt, & qui, ſi potuerint, & ipſi eum legent, venenum hoc epotabunt, ibique mortem invenient. Hoc vero veneno huic ineſt peculiare, quod ſola etiam potatur cupiditate, & ut pereas, ſatis eſt, illud ebibere velle. Profecto negare nequis, quominus ſis cauſa plerorumque horum ſcelerum emens, retinens, legens, laudans, & pravos hoſce libros commendans. *Idem.*

Mala, quæ ex malis libris proveniunt, fere incurabilia.

Inter terribiles malorum circumſtantias, quæ pravi libri pariunt, non poſtrema illa eſt, quod hæc mala fere ſunt incurabilia; cujus rei hæc cauſa eſt; quia corruptio ſpiritus graviſſimum eſt peccatorum converſioni obſtaculum; etenim ſpiritus, qui fidei ſenſus retinuit, cordis rebellionibus adverſatur; ſed ſpiritus noxiis corruptus lectionibus cordis corruptionem fovet ſenſibus oblectationis, eamque falſis ratiociniis, jucundiſque ſpeciebus corroborat. At ad generalem hanc rebellionem ſuperandam validiores requiruntur gratiæ; & conſtat, hæc ſubſidia eo longius abeſſe, quo corruptio hæc univerſalis magis eſt odioſa Deo, ſanctitati illius magis oppoſita, præceptis gloriæque ejuſdem contraria. *Idem.*

Nihil majora gignit mala, quam pravorum lectio librorum.

Olim de ſummo quodam viro dictum fuit, neminem eodem melius ſcripſiſſe, cum bene ſcripſit, neminem vero deterius, cum male. Multa quidem reſpondenda eſſent, ſi hanc propoſitionem vellemus aſſerere; verum fatendum eſt, librorum compoſitionem, editionemque in maximorum bonorum numero eſſe recenſendam, cum libri, qui typis eduntur, boni ſunt; quia inde homines ſeu pro tempore, ſeu pro æternitate non exigua bona percipiunt. Verum etiam Sole ipſo clarius eſt compoſitionem eamdem, editionemque inter ſæculi mala non poſtremum obtinere locum, cum in lucem pravos proferunt libros. Hac de cauſa Concilia peculiari cura edixerunt, nefarios libros flammis eſſe adjudicandos; & hæc una ex iis rationibus eſt, propter quas non ſuperſunt amplius Valentini, Marcionis Arii, Eunomii, Neſtorii, Pelagii, aliorumque plurimorum hæreticorum ſcripta; licet eorum quidam innumeros ferme libros ediderit. Concilia Nicænum, Carthaginienſe. Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum præceperunt, ut nefariorum horum auctorum opera concremarentur; & zelus, quo Catholici Imperatores hoc expleri juſſerunt, eos fere omnes ſuſtulit, ita ut ſola eorum hodie memoria ſuperſit, quam omnes oderunt, & execrantur. *Idem.*

Adhortatio, ut & hac in re Eccleſiaſticis nos ſubmittamus imperiis.

Pareamus, fideles, iis, quæ Eccleſia, ratio, conſcientiaque nobis imperant. Ne noſmetipſos in periculum intereundi adducamus; neque tot alios in idem periculum objiciamus, ut eam expleamus curioſitatem, vel deſiderium, quo flagramus, ſciendi, diſcendique, cui quidem ſatisfacere poſſumus tot aliis libris eadem cum innocentia, & voluptate. Non minorem pro noſtra ſalute, ac pro aliena zelum habeamus eo, quem tot inſignes Præſules, Principeſque oſtenderunt; non minor hac perfecta fidei Chriſtianæ ætate nobis integritas adſit, atque conſtantia ea, quam Epheſii fideles in ipſis fidei ſuæ exordiis oſtenderunt. Scindamus, uramus, uti ratio, & Eccleſia poſtulant, hæc nefaria, & pernicioſa opera: nonne præſtat illa comburere, quam nos ipſos æternis flammis adjudicari? *Idem.*

Lectio ſpiritualis aliqua in re præſtat ipſi divini verbi prædicationi.

Ut dignam ſpiritualis lectionis exiſtimationem concipiamus, Sancti illam divini Verbi prædicationi comparant, & dicunt, niſi lectioni ea omnis vis, & energia adſit, quam viva vox poteſt habere, longe plura tamen eidem ineſſe commoda, quæ vivæ prædicationum voci deſunt. Primum non ita facile eſt quovis tempore concionatorem habere, uti facile eſt quovis momento bonum habere librum. Secundo quidquid optimum a concionatore dicitur, perniciſſime tranſvolat, ideoque omnem effectum nequit obtinere. Tertio per lectionem cum ſummis viris, ſanctiſſimis hominibus, maximiſque Eccleſiæ Doctoribus converſamur; & modo cum hoc, modo cum illo colloqui poſſumus, eoſque audire, quaſi re ipſa præſentes adeſſent, atque illos loquentes audiremus. Denique bona, quæ ex ſpirituali lectione poſſunt hauriri, tanta ſunt, ut S. Hieronymus loquens de interiori animæ incendio, profiteatur nullum eſſe dubium, quominus illud ex ſacris libris procedat, quorum lectione anima divino igne ſuccenſa ab omni labe penitus expiatur. *Rodriguez tract. 5. cap. 28.*

Bonorum librorum legendorum negligentia nota eſt negligentiæ propriæ ſalutis.

Negligentia, atque contemptus, quo plurimi bonorum librorum lectionem aſpernantur, palam teſtantur ſalutem ipſorum nullo fere in diſcrimine illis eſſe, quoniam parum adeo diſcere curant rationes, quæ in illis ejuſdem deſiderium accendere, eoſque ad eam acquirendam poſſunt excitare. Ad prædicationem audiendam pergo, ais, cujus nonniſi tamquam ſupplementum aliquod librorum lectio eſt; ſed quamvis etiam Concionatores de omnibus veritatibus ad ſalutem neceſſariis te erudirent, difficile eſſet eas in ſermonis decurſu percipere, quia ſæpe attentio noſtra deficit, & operoſum quoque eſſet eas retinere, quia ſermo ſemper memoria ipſa celerius decurrit. Ad hæc certum eſt, terræ hujus negotia ſæpe nos a cœleſtibus negotiis avertere; ſed Aſcetici libri docent, vel ob oculos ponunt, quod ignoramus, vel quod uti opus eſt minime conſideramus. Nos erudiunt, atque hortantur tamquam omnium dierum, horarumque omnium concionatores; in pluribus lectionibus id retineamus, quod in concione ne animadvertimus quidem: ſecunda, ac tertia lectio illud cor debellat, quod prima non moverat. Si virtute præditi ſumus, S. Chryſoſtomus inquit, inita conſilia corroborant; ſi quid auſi ſumus officio noſtro contrarium, lectiones bonæ leviſſimorum etiam criminum metum injiciunt; graviorum horrorem immittunt, & utraque curant, cum ſæpius legimus: quemadmodum iterata pharmaca ad cicatricem vocant ea vulnera, quæ primo non curantur plaſmate. Hæ lectiones nos urgent, & ad pœnitentiam agendam impellent; atque ita hæc lumina perficiunt fructus, quos gignunt, eoſque ad maturitatem uſque, & perfectionem adducunt. Negligere igitur id, quod tot rationibus noſtræ aliquid conferre poteſt ſaluti, nonne eſt ſalutem ipſam negligere, ac oſtendere, quod illa nullum nobis negotium faceſſit? *P. Heliodorus Capuccinus eo libro, & loco quos jam memoravimus.*

Plurimi ſunt Aſcetici libri, eoſque eligere poſſumus, qui nobis ſunt utiliores.

Pietas non minus fœcunda eſt, quam ſcientiæ vanitas; ſcelus; non pauciores fert libros ad hominum ſanctificationem, quam ſcientiæ in lucem edant ad eorum eruditionem, ſcelus ad interitum, & vanitas ad

inanem

inanem nominis auram. Pietati infinitum fere voluminum debemus numerum, & quamvis terminos cum adfectatione non quærat (argumentum enim quod tractat per ſe in pretio eſt habendum, & ornamenta nullum eidem adjungere poſſunt nitorem) non negligit tamen vividas vehementeſque locutiones; non reſpuit ornatum, qui eam Deo magis acceptam efficit, quia aliquid confert, ut homines alliciantur ad Deum, & ſcit ſe nihil niſi ad majorem Domini gloriam acquirere poſſe, cui uni placere deſiderat. *Idem*.

Inanes excuſationes, quibus Aſceticorum librorum lectio rejicitur.

Undenam fit, ut cum ſis chriſtianus, teipſum ab ea lectione diſpenſes, a qua ne ſeipſum quidem diſpenſabat Apoſtolus? Pluribus impediris negotiis? Judas Machabæus jamjam prælium initurus tempus nanciſcitur, quo aliquid ex ſacris Bibliis delibet, ac inde tantum ſibi honoris, quantum patriæ ſuæ utilitatis reportat. *Lectio ſancto libro. 2. Mach.* 8. Doctus es, neque indiges librorum adminiculo, ut doctior fias? at illi etiam, qui doctiſſimi habentur, nonne aliquando, quæ didicerunt, tenentur repetere, & nonne aliquando ſui obliviſcuntur officii? Numquid doctior es S. Paulo, & in eadem ſchola, & ab eodem Præceptore inſtitutus, qui eadem ſcientia, & eadem veritas eſt, & qui alterum erudiebat pro univerſo terrarum orbe magiſtrum, hunc ſibi formans diſcipulum? Virtute præditus es? at num magis quam primi fideles, quam S. Timotheus? Numquid hunc S. Paulus a lectione cenſebat immunem? Immo nonne hanc illi tamquam maxime neceſſariam commendabat? Dices fortaſſe libros plurimo venumdari argento? Heu! nonne invenitur pecunia pro ſexcentis rebus, quæ ſupervacuæ ſunt, pro libris curioſis, & nonnumquam impiis? nonniſi ubi officium, & noſtra ſalus agitur, pauperes ſumus. Tantus præſtantium librorum numerus, qui adeo modico pretio comparantur, inanem prorſus hanc excuſationem efficit; præterquamquod non deeſſent viri boni, qui libenter pauperibus qui litteras ſcirent, hujuſmodi libros commodarent.

De lectionibus indifferentibus ad optimum finem dirigendis.

Vix ullum ex retro elapſis ſæculis fuit æque veterum auctorum curioſum, & adeo ferax recentium, ac noſtrum iſtud: numquam locupletiores fuere Bibliothecæ libris compoſitis, ac in omnes linguas translatis, idque omnibus in argumentis, quæ ſciendi cupiditatem poſſunt explere. Haud equidem credo bene dicendi artem, hiſtoriam, omnes Philoſophiæ partes Juriſprudentiam, Theologiam, aliaque argumenta, quæ hanc eamdem explere valent eſuriem, & aliquid publico bono conferre, tanta perſpicuitate, ordine, elegantia, facilitate, quanta hoc ſæculo pertractata fuiſſe. Non deſunt homines, qui ex profeſſione ſua hujuſmodi lectionibus vacare tenentur, & qui ex conſcientia erudiri debent de iis omnibus, quæ ad eam, quam amplexi fuerunt, vitæ rationem pertinent & quam nonniſi ſufficienti ingenio donati amplecti potuerunt: & quia infidelis eſt memoria, & novæ quotidie difficultates occurrunt, debent nonnumquam ad libros tamquam oracula confugere, rationemque reddituri ſunt Deo malorum omnium quæ ipſorum gignere poſſet ignorantia, & ſæpe etiam eadem reparare tenentur. Hæc eadem lectio nequaquam prohibita eſt iis, qui alias vitæ rationes ſecuti fuerunt: Naturalis hominum propenſio erga ſcientiam innocuis lectionibus poteſt expleri: ſpiritus perfectio non eſt voluntatis perfectioni contraria; infidelis Deo non eſt, qui opera illius cognoſcere ſtudet: quod nobis recentes illius admirandi, amandique rationes ſuppeditat, ab illius cultu nos nequaquam avellit: Deus æquus eſt, neque prohibet homini ejus facultatis exercitationem, qua inter cætera animantia diſtinguitur. Immo neque ſibi perſuadere quiſpiam debet, rationabili hac libertate quemquam diſpenſari ab ea attentione, quam ſuis debet officiis, vel illam eo uſque extendi, ut illi inutiles profeſſioni ſuæ lectiones permittant, cum ejuſdem conſcientiæ ſint periculoſæ. Curioſitas, aut vanitas non conferunt jus legendi, quod profeſſio, & publica utilitas quoſdam ſcire cogunt; illi ipſi, qui hujuſmodi lectionibus vacare coguntur, nonniſi ſumma præcautione illis operam dare debent; quæ procul dubio pravos gignent effectus in eorum mente, qui citra neceſſitatem, & ſine cauſa illis occupantur. Cæterum jam culpa non caret ſeſe malo, quod accidere poteſt, objicere. *Idem*.

De inventione ſcripturæ, typicæ artis & librorum.

Scribendi, edendique typis inventum inſpiravit Deus ad prævertendas jacturas memoriæ earum rerum, quæ geſtæ ſunt; duobuſque hiſce adminiculis humanus ſpiritus firma efficit verba, quæ natura ſua fluunt; ac immortalitatem impertit ſermonibus, qui vix nati occumberent, & qui ad perfectionem deducti, jam non eſſe inchoarent. Satis admirari non poſſumus, quod hac in re calamo, ac ſtylo plus inſit virtutis, quam linguæ; quod mortua inſtrumenta quamdam immortalitatis ſpeciem tribuere valeant verbis, quæ a lingua vivente privilegium hoc nequeunt accipere; quod modico attramento omnes hominum cogitationes exprimere poſſint, & hoc uno colore exhibere nobis quidquid in mundo eſt, vel fuit; qualitates omnes, omnem ſcientiam omnes magnorum virorum actiones, quidquid dignum, indignumque memoria eſt; immortalitatem conferre iis, quæ mortua ſunt, communicare id, quod non habent, atque tot res ab temporum injuriis vindicare, a quibus ſemet nequeunt eripere. *Idem*.

Boni ſermones malique naturam non mutant, ſive in ore ſint, ſive in ſcriptis.

Verba, & ſermones ejuſdem naturæ ſunt ſive in labiis, ſive in papyro: quidquid os proferre poteſt, quidquid calamus ſcribere, quidquid torcular excudere, ejuſdem ſpeciei ſunt. Impius ſermo non minus impius in libro eſt, quam in labiis; ſermo indifferens, ſermo pius ſpeciem non mutat ſive audiatur, ſive legatur: os, calamus, torcular illum in ipſius natura reliquunt, & poſtrema duo illi firmitatem, ac diuturnitatem tribuentia ſpeciem, & qualitatem ejus non mutant. Libri vel boni ſunt, vel mali, vel neutri uti ſermones, ſive libri typis editi ſint, ſive manu ſcripti. Omnes iſti libri licet diverſæ ſpeciei, in hoc tamen conveniunt, quod eorum lectio aliquando præcipitur, aliquando permittitur, aliquando prohibetur. *Idem*.

Quidam ex officio tenentur malos libros legere, eorumque lectionem prohibere.

Lectio librorum, qui fidei, boniſque moribus contrarii ſunt, pars eſt officii nonnullorum, quos vel ſuſcepta provincia, vel ſuperiorum imperium illos ad examen revocare cogit, eoſque refellere, vel proſcribere. Viri hujuſmodi, quibus vel officium, vel imperium hanc tribuit auctoritatem, legere poſſunt hæreticos, impioſque libros, ut videant utrum eorum doctrina æque mala ſit, ac eorum exiſtimatio, & utrum æque pravi ſint, ac infames. Ipſa etiam conſcientia non ſinit, eos hujuſmodi lectiones relinquere; & non minus illi tenentur hos libros evolvere, quam Judices teneantur nocentem interrogare, Eccleſiaſtici ſuperiores non vacarent culpa, ſi damnarent, vel cenſoriam notam affigerent libro; quin illum vel per ſe, vel per alios ſcientia, & probitate præditos exploraſſent; quemadmodum peccarent Judices, ſi contra reum indicta cauſa ferrent ſententiam: & quamquam difficillimum ſit hos libros citra periculum legere, publica tamen utilitas non minus illos excuſat, quos ratio muneris ſui, vel ſuperiorum juſſu eoſdem legere cogunt, quam Confeſſarios, vel Medicos, qui periculoſa nonnumquam legunt, ſed certo conſilio illis ad hominum valetudinem vel ſalutem utendi, & Deus, qui præcipit illis, ut hujuſmodi lectionibus erudiantur, numquam eas denegat gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut illi ſe ab hac contagione præſervent. *Idem*.

Libri contra fidem, bonoſque mores prohibiti ſunt, & quid hoc ſibi velit, interdictum.

Lateranenſe Concilium Epiſcopis præcipit, ut ad examen revocent libros, qui contra fidem, bonoſque mores ſunt, atque ut de illis per ſe, doctoſque viros judicium ferant. Concilium Tridentinum, Summique Pontifices, qui poſt illud rexerunt Eccleſiam, quam debent, adeo neceſſarii examinis curam ſuſceperunt. Hoc nequit eſſe crimen in illis, quos Cœlum, ac terra probant, quia citra inobedientiam id negligere nequeunt; immo e contra labor eſt immortali gloria dignus operam navare, ut licentia, hæreſis, ac impietas evellatur. Quod ſi Laici quidam prohibitos, damnatoſque libros legendi obtinent facultatem, harum diſpenſationum non leves eſſe debent cauſæ, perſonæ tutæ, & præcautiones ſervatæ. Simplex curioſitatis ratio non ſufficit hujuſmodi facultatibus impetrandis; rationabilis requiritur credendi cauſa lectionem hanc utilem vel Eccleſiæ, vel petenti futuram, neque tuta conſcientia ulli tradi poſſunt arma, quibus metuendi ratio ſubeſt; ne ille contra ſeipſum utatur. *Idem*.

Quid de amatoriis libris ſentiendum.

Profecto non ii tantum libri, qui obſcœnis narrationibus repleti ſunt, ſed illi etiam qui amatoriis fabulis ſunt referti; comœdiæ, hiſtoriæ ad voluptatem ciendam concinnatæ, & peccare docentes, quemadmodum Ethnicus quidam eas nuncupat; *Peccare docentes hiſtorias*; libri hujuſmodi, eorum lectio, & oblectatio, quæ illinc petitur, ſunt Chriſtiano homine indigna, qui omnes cognitiones ſuas ad Deum debet referre; & uti talentis, quibus ab illo donatus fuit, ut ſaluti ſuæ conſulat, & alienæ, quantum ſui muneris, ac profeſſionis poſtulat ratio. Et ſane inficias ibit nemo, hujuſmodi opera bonis moribus infinitam afferre perniciem, quia fere ſemper in legentium animis relinquunt ideas, ac ſenſus puritati contrarios. Profecto ad morum corruptionem evitandam, quam illi quocumque poſſunt inferre, Ethnici quoque illos ex Rebuſpublicis eliminandos, proſcribendoſque cenſuerunt, exiſtimantes, ut quidam ex eorum auctoribus inquit, lectionem adeo parum honeſtam corrumpere facilius poſſe virtutis ſenſus, quos pueris ab ineunte ætate

inſpirabant, quam eorum excolere ingenia: *Noluerunt his libris liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus nocerent, quam prodeſſent ingeniis*. Valer. Maxim. Itaque nihil intentatum reliquit Eccleſia, ut fideles a lectione librorum adeo periculoſorum deterreret, non minus fidei, quam morum puritatis gerens curam. Hac mente Nicænum Concilium, hiſtorico Nicephoro teſte, tulit anathema contra Arii librum, cui titulus *Thalia*; quia ſtylus illius laxior erat, & effœminatus. Eamdem praxim ſervavit Eccleſia in quodam Provinciali Concilio erga Heliodorum Epiſcopum, qui de gradu deturbatus fuit eo, quod flammis abſumere noluerat Ethiopicorum Hiſtoriam, vel amores Theagenis, & Carielææ. Cum enim amatorii hujus libri lectio pernicioſam in adoleſcentium animis impreſſionem effeciſſet, Provinciale Concilium præcepit, ut vel hic liber, qui impuri amoris ignem accenderat, igni addiceretur, vel Epiſcopus, qui illius Auctor extiterat, de Epiſcopali dignitate dejiceretur; qui cum mallet Epiſcopatu ſe abdicare, quam ſua ſcripta flammis comburere, juridice loco motus fuit. *Thiers in tractatu de ludis, atque ſolatiis c.* 10.

Fabuloſi amorum libri iis periculoſi ſunt, qui virtutem, & pietatem colunt.

Quamtumvis oſcitanter ad examen vocentur fabuloſi amorum libri, ii etiam qui honeſtiores videntur, haud ægre quivis judicabit illos rejiciendos eſſe in eorum numerum, qui mundi ſpiritum inſpirant, ac devotionis, & pietatis ſpiritum in iis etiam ſuffocant, qui virtute præditi ſunt, ac ſanctiſſime inſtituti fuerunt. Sancta Thereſia fidele perhibet teſtimonium malorum, quæ horum librorum lectio primum in ſua peperit anima. En quid illa fateatur: incœpi, ait illa, paſſim fabulorum amorum lectioni vacare; atque lectio hæc incœpit teporem injicere ardentibus deſideriis, quibus Deo ſervire flagrabam, & ex corde meo pietatis ſenſus proſcribere. Non adeo magnum mihi videbatur malum plures diei, & noctis horas ineptæ, inanique huic impendere occupationi, in qua ita tota eram, ut mihi non viderer voti compos, niſi recentem aliquem hujus generis librum invenirem. Incœpi tunc velle ſecundum ejus temporis conſuetudinem indui, unguentis oblini, omneſque vanitates conſectari, quas meæ conditionis ratio patiebatur. Ex hujuſmodi initiis, ait vitæ ejuſdem hiſtoricus, plurimum primæ charitatis ardor deferbuit; alia ex parte gratia obſcurari cœpit, & cor illius, quod antea divino erat amore ſuccenſum, pene in eam, quam diligebat, vanitatem tranſformatum eſt. *Idem*.

Mala, quæ amatorii libelli pariunt, merentur, ut in auctores animadvertantur, eorumque libri flammis abſumantur.

Si debitus adhibeatur honor amatoriis libellis, atque præclaris fabularum voluminibus, quorum numerus quotidie non ſine Chriſtianæ religionis dedecore augetur, in eumdem fere cogentur ordinem, in quem hæreticorum libri rejiciuntur; ſi enim eorum nequitia tanta non eſt, eſt magis communis, ac a pluribus ſentitur. Eo majorem habent pravitatem, quo majorem teſtantur innocentiam, & ſub ſolatii colore vitium inſpirant. Neque alios hujus veritatis aſſertores offero quam Epiſcopos, qui Theſſalonicam Concilii gratia convenerunt: hi de Epiſcopali ſede Heliodorum dejecerunt, quia in lucem ediderat ſuam Caricleam, eumque omnibus dignitatis inſignibus exuerunt. Patres illi in ſeveram adeo ſententiam tunc tandem conſenſere, poſtquam diligenti examine ea reputarunt mala, quæ adoleſcentia, immo etiam provectior ætas ex adeo pernicioſo libro percipere poterant. Jucundæ narrationes, atque ethopœjæ illecebris refertiſſimæ illum tutatæ non ſunt; ac juſtiſſima cenſuræ nota ſubeunda auctori fuit, quia non ſatis humilitatis habuit, ut opus ſuum diffiteretur. Prudenter ſummi illi viri cenſuerunt, adoleſcentiam per ſe nimis eſſe in vitia proclivem, quin in illa pertrahatur, vel impellatur, atque ignem concupiſcentiæ nimis eſſe ardentem, ea vero potiſſimum ætate, quin oleum camino addere oporteat: quamobrem licet opus tale ferri potuiſſet, ſi a prophano auctore fuiſſet conſcriptum, jure igni devovendum judicarunt, quia Epiſcopum habebat auctorem. Sortem hanc tot merentur volumina fabuloſis referta narrationibus, & hiſtoriis ad voluptatem inventis, quas vernaculo nomine dicimus *Romans* propter inſigne naturæ ejuſdem opus, quod eodem nomine appellabatur, & quod jam trecentis ante hoc tempus annis præter conſcriptum reliquis ejuſdem farinæ libris ſuum nomen reliquit. Dici nequit quantum malorum flagitioſiſſimus hic liber pepererit, quæ Gerſonis Magni Cancellarii zelum excitarunt ad eorum curſum inhibendum; qui ejuſdem auctorem miſerrimo Judæ comparat propter criminis enormitatem. Heu! Quot ſunt hujus characteris libri in Gallia, Hiſpania, Italia, regniſque omnibus? libri qui hujuſmodi continent narrationes, quarum lectio nonniſi bonis moribus corrumpendis inſervit. *P. Cordier tomo 2. Familiæ Sanctæ*.

Hujuſmodi librorum lectionē nequicquam probare quidam contendunt.

At enim libri nunc honeſtiores ſunt, atque iis rebus omnibus carent, quæ mentem quidem fœdare, animum vero corrumpere poſſunt; non enim ſunt niſi jucundæ fabellæ, ubi inſanus amor tanto excipitur contemptu, quanta prudentia ſapiens, & honeſtus amor docetur; de morum licentia nullus ibi accidit ſermo, niſi ut damnetur; ubique laudibus celebrantur modeſtia, & innocentia; quarum alterutra ſemper hiſtoriam concludit; & ſi quid ab hoc charactere occurrit abnorme, ſtatim ſuum nanciſcitur antidotum, atque remedium antequam poſſit nocere. Sed quæcumque ratio afferatur ad excuſandos pravos effectus, quos id genus libri pepererunt, hodieque pariunt; hæ malæ arbores cenſendæ ſunt, quia fructus earum mortem quidem plurimis, ſalutem vero nemini attulerunt. Illud autem de illis mitius judicium ferri poteſt; hujuſmodi lectionem inanem eſſe cibum alendi virtute carentem: virtutes, quæ ibi deſcriptæ ſunt, in imagine tantum ſunt, vitia vero reipſa. Si quid bonum ibi legitur, in animum non illabitur, & fabula quædam cenſetur; malum vero, quod ibi deprehenditur tamquam veritas conſideratur. Falſa perquiſitio, & imaginaria voluptas eamdem efficiunt in animo legentium impreſſionem, ac ſi res cum omnibus illis peracta fuiſſet circumſtantiis, quibus eſt exornata. At hoc ipſum non accidit generoſæ repulſæ, vel bene ſervatæ integritati; nam præterquamquod malum credimus facilius, quam bonum propter generalem in qua vivimus corruptionem, certum eſt pulchris actionibus nos nequaquam æque moveri ac pravis; quia illæ ſenſus noſtros excedunt, & nonniſi a ſpiritu percipiuntur. Ita peccati permanet occaſio, & virtutis decor evaneſcit; quamobrem ſapientes viri hujuſmodi illuſtres, induſtreſque fictiones adoleſcentiæ venenum eſſe cenſueruut. *Idem*.

Vide a nobis dicta titulo de ludis, ſpectaculis, comœdiis &c.

Quamvis malum, quod ex hujuſmodi librorum lectione procedit ad ea uſque non pertingeret mala, quæ nihilominus paſſim videntur; periculoſum tamen adoleſcentibus eſt, inſomnes ducere noctes, ut videant finem ejus facinoris, quod guſtare incœperunt. Illos curioſitas urget, neque ullam percipiunt requiem, niſi ejuſdem finem fuerint intuiti. Hoc in cor eorum aculeum jacit, quem, ubi voluerint, evellere nequeunt. Fabuloſi caſus iſti ita bene concinnati ſunt, ut nonniſi cum poſtrema pagina ſpiritus curioſos illos relinquat. Repetat modo adoleſcens ille, vel hæc puella amoris ſpicula corde gerens omnes caſus, quos legit (ea enim omnia, quæ legit, jugiter menti illius obverſantur) in mentem revocet occurſus meditatos, tenera colloquia, inopinatas artes, indictos ad conveniendum locos ita belle diſpoſitos, omnia parata, ut e voto initum cedat conſilium; quem fructum præſtolaris ex his omnibus, quæ indeſinenter in ſpiritu ejus verſantur? Profecto minus malum, quod metui queat, eſt pietatis jactura; neque enim credi poteſt, quantum hæ inſanæ cogitationes procul amoveant omnem Dei, ſalutis, alteriuſque vitæ curam: at inde ut plurimum accidit, quod ſpiritus, qui imaginarii hujuſmodi caſibus innutritus eſt, in praxim redigat, quidquid legit, & ex vitæ ratione alicujus verum efficiat dignum amatorio libello argumentum, cujus exitus ſemper eſt funeſtiſſimus. *Idem*.

De Auctoribus hujuſmodi libros ſcribentibus.

Etiam amatoriarum fabularum auctores otii tantum nomine eſſent damnandi, quippe in id unum incumbant, ut fictos caſus comminiſcantur, ſpiritum fatigantes ſuum excogitando, & concinnando eventus eos, qui aliquam habeant ſpeciem veritatis; rei ſemper eſſent coram Deo, a quo ideo creati fuerunt, ut ſuam ſalutem operentur. Sed quænam eorum infelicitas eſt in id unum elaboraſſe, ut alios perderent illis noxios inſpirantes effectus, quibus ipſi ſeſe mancipaverant? Dici enim poteſt ex cordis abundantia calamus ſcribere, non ſecus ac lingua loqui conſuevit. Quodnam ſcelus eſt ignem ſuccendiſſe, quem, ubi voluerint, non extinguent, & qui late depopulatus eam afferet vaſtitatem, quam fortaſſe reparare non poterunt? Hæc res ſummo dolore conficiebat ſummum Pontificem Julium II. qui cum adhuc adoleſcens ingenii famam aucuparetur, hujuſmodi librorum conſcribendorum licentiam ſibi vindicaverat; ſed qui provectiori ætate rationem inquirebat inhibendi malum, quod ipſe pepererat, eaque non inventa graviſſimis doloribus inſolabiliter torquebatur. Palinodiam cecinit; ea, quæ dixerat, retractavit; omnes obteſtabantur, ut ſummo Pontifici potius, quam procaci adoleſcenti fidem haberent; & mallent potiorem habere damnationem, quam ad primam Eccleſiæ dignitatem evectus opera ſua proſcribebat, quam ſuæ juventutis licentiam. Summus hic Pontifex lacrymas ex eorum omnium oculis eliciebat, cum quibus loquebatur, ubi hic accideret ſermo. Quis affirmabit, ajebat ille,

Dei cor meis doloribus tangi, quandoquidem libri mei malum parere non ceſſant? Retractationes equidem ſcribo, quas in omnem terrarum orbem conor effundere, ſed quid fiet de animabus illis, quæ meo ſcelere perierunt? At legentur ne retractationes meæ? Et illi, a quibus legentur, inde proficient? Quam gravis dolor eſt, ſe nocentem cognoſcere, & noxam, uti par eſt, reparare non poſſe? Peccatum quidem odi, & deteſtor, at illud prohibere, non eſt integrum mihi. Num aliquid propius ad deſperationem accedit? Hic ille fructus eſt, quem hujuſmodi flagitioſa ſcripta ferunt, & utinam eorum auctores eadem pœnitentia, qua ſummus iſte Pontifex ducerentur! Heu, præclara ingenia quid judicanti reſpondebitis Deo, cum vobis objicietur tempus in otio fovendo, in impudicitia excitanda veſtris ſcriptis impenſum? In meliorem uſum Dei dona convertite, iiſque, magni hujus Præſulis exemplum ſecuti, utimini ad reparandum injuriam, quam Deo intuliſtis, & damnum, quod proximis veſtris peperiſtis. *Idem ex parte.*

Quid de hiſce libris ſentiendum.

Quæritur, quid ſentiendum de his libris, quos *Romans* vernacula lingua vocamus, de præclaris illis fictionibus nihil mirum venditantibus, & quæ cum accommodatæ ſint inconſtantiæ, & curioſitati ingenii noſtri, necnon affectuum noſtrorum naturæ, & inquietudini, earum lectio faſcini ſpecies quædam videtur; adoleſcentia adeo validis illecebris ad illas ſe pertrahi ſentit, ut eas nullomodo valeat deſerere; cœna, ſomnique horæ maximæ importunæ videntur, quia cogitur jucundas has illuſiones intermittere, quæ ſpiritum replent, quin ſatient, quæ illum onerant, qui faſtidium creent, quæ ſemper legi vellent, & numquam abſolvi, & quarum curioſitatis, & voluptatis mixta mobilitate ſimul, & finis metuitur, & exitus deſideratur. Citra omnem dubitationem libri hujuſmodi cenſendi ſunt pernicioſi, & quicumque eorum naturam cognoſcit, facile huic cenſuræ ſubſcribet: ſcit enim id genus libros compoſitos eſſe tantum ad inſpirandum, fovendum, alendumque amoris affectum, qui plerorumque hujus mundi malorum eſt cauſa. *P. Heliodorus Capucinus libro, quem ſæpe memoravimus.*

Impudici amoris affectus ſemper eſt hujuſmodi librorum materia.

Satis liquet amorem ſemper eſſe hujuſmodi librorum argumentum; zelotypiæ, vindictæ, tepores, diffidentiæ, ſingularia certamina, bella, prælia, ſacrificia ibi non occurrunt niſi tamquam ornamenta, vel effectus harum impurarum chimerarum, & tamquam intervalla, quæ opem ferunt ſpiritui, ut omnia comprehendat, quæ tempus illi relinquunt guſtandi voluptatem, qua perfunditur legens jucundiſſimi affectus eventis, & quæ efficiunt, ut ardentius narrationis textura, & decurſus perquiratur. Re ipſa amor tota eſt horum librorum ſubſtantia; & vellem equidem illorum amatores docerent, utrum hæc vivendi ratio fere jugis ſit peccati continuatio; utrum Deus utriuſque ſexus mortalibus prohibet ſeſe objicere proximæ occaſioni peccati; atque utrum ulla magis periculoſa ſit occaſio peccati, quam eorum lectio librorum. *Idem.*

Quid afferri poſſit ad hujuſmodi lectionem excuſandam.

At enim amores, de quibus plerique id genus libri loquuntur, honeſti ſunt, eorum quippe finis conjugium eſt; & ſi legere licet turpes primi Cæſaris, & cæterorum ferme inſequentium amores; ſi citra periculum in hiſtoriis leguntur laſcivi, & inhumani mores populorum veteris, novique terrarum orbis; cur iſti prohibendi ſunt? Cur prohibendæ feſtivæ deſcriptiones affectus periculoſi quidem, ſed iis omnibus deſtituti adminiculis, quæ pudorem lædere poſſunt; cur non prohibentur hiſtoriæ, ſed in illis teterrima ſcelera legere fas eſt? Hujuſmodi objectiones ex ſe ſtatim corruunt, & quidem inter hos, hiſtoricoſque libros diſcriminis intercedat, exploratum eſt. Hiſtoria veritatem docet: hi vero libri fabulas narrant; illa ſine infidelitate ſcelera nequit præterire, hi nequeunt illa ſine mendacio vendicare. Hiſtoria vitia ad vivum repræſentat pro vitiis; amatorii vero libelli vitiis perſonam induunt, nihilque inauſum relinquunt, ut pro virtutibus atque perfectionibus traducantur. Quod vero ſpectat ad honeſtum conjugii finem, quem his libris propoſitum autumant; qui illos probant, vel non animadvertunt, vel animadvertere nolunt, illas ſimulatas deſcribendo cupiditates, quæ fabulæ concluſionem vel impediunt, vel diſponunt, movere noſtras, eaſque vel ſopitas excitare, vel extinctas accendere, & afficere, ut vera crimina committantur. *Idem.*

Bonorum librorum multitudo efficit, ut poſſimus, immo ut debeamus ab horum librorum lectione abſtinere.

Etiamſi in terris non aliud eſſet librorum genus, quam horum, abſtinendum tamen eſſet ab eorum lectione, & curioſitas cedere deberet conſcientiæ, mandatis Dei, atque ſaluti: ſed libri in quolibet argumento in infinitum uſque multiplicati ſunt, & pluriмorum hominum vita nequaquam ſufficeret legendo quidquid una tantum in re fuit ſcriptum, quin tempus tereretur legendis amatoriis hiſtoriis, quæ uſquequaque fabellis redundant: vos autem pertinaci, obfirmatoque animo vetito hoc cibo veſci cupietis, & curioſitas veſtra reſpuet omnia, iis exceptis, quæ ſaluti veſtræ poſſunt officere. Curioſitas hæc propter noxiam voluptatem tanto ſeverius punienda eſt, quia expleri poterat fere infinito innocentium lectionum numero, & quia incomprehenſibilis ſapientium librorum multitudo potiorem tribuit occaſionem ab hujuſmodis libris abſtinendi, qui tantum ad vos pertinent, quantum ea, quæ expedit ignorare. *Idem.*

Prætextu dicendi bene loqui horum librorum lectionem excuſare non poteſt.

Non ſumus amplius eo tempore (immortales Deo habeantur gratiæ) quo bene loqui diſcere nequeamus, quin diſcamus male vivere, & quo linguam noſtram reformare non poſſimus, quin mores noſtros corrumpamus. Non adeunda eſt amplius amoris prophani ſchola, ut egregias, uberesque lectiones percipiamus, non accendendum eſt Ethnæ, neque in ejus flammis pereundum, ut illi ſatisfaciamus curioſitati, quam ſine periculo explere poſſumus, & quin requies, honor, & ſalus noſtra in diſcrimen vocetur. Sæculi hujus ſcriptores autem invenerunt linguæ puritatem cum argumenti ſoliditate, & innocentia conjungendi nobiſque præ aliis ſæculis hæc utilitas eſt, quod linguæ theſauros inquirere poſſumus, quin in inſidias impingere metuamus. Libri, qui de linguæ noſtræ dignitate, ac venuſtate loquuntur, plurimi ſunt; atque horum præceptorum exempla in ſacris æque, ac prophanis hiſtoriis, in remotiſſimarum regionum enarrationibus, & in ipſis ſcientiarum tractatibus invenimus. Eruditi ſcriptores iſti ſcientiam cum elegantia conſociarunt; ſcientia nos docet, qui barbarorum vocabulorum ſtrue nos laceſſat; neque venuſtiores dicendi formas dediſcimus, cum mentem rebus optimis replemus. Ii etiam libri, qui ea pertractant, quæ ad pietatem pertinent, hæc in contemptum non adducunt invenuſtis vocibus, vel ineleganti ſyntaxi. Pietas quoque credidit ſe carere non poſſe cura infirmitatibus noſtris neceſſaria; & licet hoc præcipuum minime putat vocabulis inhærere, noſtro ſe accommodat ingenio, ac nobis hæc cedit utilitas, quod eodem ſimul tempore & bene loqui, & bene vivere diſcamus, & ſimul linguam, mores, ac ſpiritum formare poſſimus. Sed licet alterius mundi lingua loquendum eſſet, licet inculti, ac barbari eſſemus habendi; tunc hæc quoque nobis ferenda eſſet injuria, potiuſquam bene loquendi ars ex iis petenda eſſet voluminibus, quæ malum docent, & ad peccandum ſollicitant. *Idem.*

Homine Chriſtiano indignum eſt amatoriarum fabularum lectioni vacare.

Quodnam eſt horum librorum argumentum? Inventiones, doli, artes, exituſque prophani amoris, quorum lectio in idolorum cultoribus, qui verum Deum neque norunt, nec diligunt, vix eſſet ferenda. Verum quænam intereſt ratio inter Chriſtianæ pietatis profeſſionem, horrorem peccati, amorem, & praxim continentiæ, Jeſu Chriſti imitationem, firmam in verbis ejus fidem, & lectionem amatoriam fabellarum, quarum ficta argumenta omnes Chriſtianas virtutes oppugnant? . . . . Lectio hæc in anima omnes Chriſtianæ pietatis, divinique amoris, qui ejuſdem profectio eſt, ſuffocat ſenſus. Tamdem enim ſi contraria contrariis extruduntur, quæ magis oppoſita ſunt, quam divinus amor, atque prophanus? Inde igitur ſequitur, & quotidiana docet experientia, ſimulac prophanus amor corde aliquo potitur, inde amorem Dei exulare, & prout alter accenditur, alterum extingui, & penitus evaneſcere. *Liber, cui titulus: Familiarum Chriſtianarum Pædagogus, precepto ultimo de pravorum librorum lectione.*

Mira impreſſio, quam in legentium animis hujuſmodi librorum lectio relinquit.

Ut liqueat quamnam in animarum mundanarum mentibus impreſſionem relinquat amatoriarum fabellarum lectio, audi, qua de re in cætibus illæ loquantur, & quid ſecum reputent in ſolitudine. Non aliud animo verſant, niſi quod legerunt; modo invident fortunæ perditi amatoris, modo artes admirantur, quibus uſus fuit, ut votorum ſummam conſequerentur, modo illectæ ſunt objectis, quæ imaginatio illis ſuaviſſima repræſentat, hæ ſunt cogitationes, quibus animæ effæminatæ occupantur. De quibus loquuntur ex cordis abundantia, narrant Heroum, inſigniumque fœminarum eventus, quibus mens eorum repleta eſt; & ſi forte eo in cœtu, in quo adſunt, accidit ſermo de virtute, vel aliquo pietatis facto, quam nauſeam, quod faſtidium præſeferunt? *Idem.*

Pravi libri pravis ſermonibus deteriores.

Inter prava colloquia illa magis metuenda ſunt, quæ periculoſorum fiunt lectione librorum. Viva vox ſæpe fluxas efficit impreſſiones; ſcripta manent, & ubi placuerit, legi poſſunt; attento ſpiritu per otium leguntur; vacat illis animum advertere, in illis voluptatem, ſolatiumque ſuum mortales conſtituunt; eaque illis impendunt plerumque momenta, quibus ſpiritus affectionum objectis maxime patet, ac minus ſibi cavet; quibus cor magis iis rebus afficitur, quæ illius ſtudiis velificantur; quibus denique impreſſiones magis vivendæ, jucundæque ſunt, magis profundæ, ac fere indelebiles. In hominum cœtu ea, quæ dicuntur, ſæpe nobis ruborem offundunt, aliorum adſpectus aliquam nobis verecundiam, & reverentiam inſpirat: at cum legimus, non erubeſcimus; nihil nobis metuendum eſt; vitium liberius ſeſe prodit; ideoque ſi ſecundum Ethnici cujuſdam effatum, quod S. Paulus adoptavit; bonos corrumpunt mores colloquia prava; pravi libri hoc tutius, ac validius efficiunt, *Liber cui titulus: Excepta ex operibus plurimorum Sanctorum Patrum, recentiumque ſcriptorum.*

Malorum librorum lectio periculoſior eſt malorum hominum conſuetudine.

Malorum lectio librorum moribus magis officit, quam malorum hominum conſuetudo; liber enim, ubicumque voluerit, poteſt accipi, & legi; venenum illius ſemper preſto eſt, ut ſeſe effundat; ac ſemper idem eſt, ſemperque eamdem habet contagionem. In libro nihil non meditatum occurrit; verba magis vivida ſunt, atque valida; ſermo compoſitus magis, & ſuavior; narrationes comptiores: omnia nitent, melius digeſta, ac in ordinem deducta, nec non ad cor fictis coloribus corrumpendum ipſis etiam flagitioſiſſimis ſermonibus aptiora . . . Si S. Paulus ne permittebat quidem primis fidelibus obſcœnorum vitiorum proferre nomina, cum invicem converſabantur; quid ſentiendum de libris, qui de iiſdem diſſerunt, qui immo ad eadem excitant, ac addunt ſcandalum impudicitiis, & ſordibus, quas delectis vocabulis ornant, ut eadem homines minus perhoreſcant. *Idem.*

Contra Auctores qui libros malos, vel ſcribunt, vel vertunt.

Quid autem dicendum non eſt in illos, qui vel pravos elucubrantur libros, vel qui rurſus veteres ſuſcitant, qui bonorum omnium cenſuram fuere promeriti; qui miſera perfruuntur voluptate non legentes ſolum, verum etiam in noſtratem ſermonem vertentes, quidquid in alieno magis contagioſum eſt, ut venenum illis etiam propinent, qui vel mortuas, vel exoticas linguas non norunt: qui ſatis nequaquam rati illos in viventium manibus tradere, illis etiam præparant, qui nondum ſunt, in tempus futurum? Crudelia fratrum homicidia, quæ illis etiam vitam auferunt, qui illam nondum acceperunt? Cui aliquis pudor eſt, poteſtne in re tali talenta, quibus a Deo donatus eſt, exercere? Sed potius ulla ne Religio illi eſt, cui damnabilis hæc voluptas arridet condiendi id, quod verum eſt Religionis virtus, iis omnibus illecebris, & veneribus, quæ efficere poſſunt, ut cum aviditate ebibatur, atque hauriatur? *Idem.*

Non deſunt etiam, qui carminibus, impiiſque ſcriptis novum præperant virus eo periculoſius, quo occultius, ac majori arte dilutum, quod ex eorum manibus profectum, qui ſe Chriſtianos dicunt, in manus eorum fertur, qui ſe tale eſſe gloriantur. At quomodonam qui hæc tenebrarum opera componunt, ſe Chriſtianos audent vocare; hoc eſt divini illius Magiſtri diſcipulos, qui puritatem, & ſanctitatem tantummodo docet? Qui ita cæci ſunt, ut adeo prophanis lectionibus ſeipſos paſcant, nonne evangelio abrenuntiant eam tradentes doctrinam, quæ iis tantum convenit, qui perditæ ſunt, deploratæque conſcientiæ? Nonne hoc eſt Jeſum Chriſtum cum Belial conciliare, & ex eadem perſona fidelem, & infidelem efficere? Hic ille effectus eſt, quem Auctores pernicioſi operibus ferunt, amatoriis fabellis, carminibus adeo teneris, atque patethicis, quæ inhoneſtas animi libidines tam venuſte, tantoque lepore deſcribunt, ubi malum eo magis metuendum eſt, quo magis ſententiarum, verborumque luminibus involutum eſt, & callide in poemate, vel comœdia ſub falſis urbanitatis, vel ſpecioſæ honeſtatis coloribus diſſimulatum . . . Ethnici, qui olim dœmones venerabantur tamquam ſcelerum, libidinumque Deos, fas eſſe putabant, hoc ſibi non prohibente Religione, quam profitebantur, loqui, & ſcribere ſecundum corruptos cordis ſui ſenſus, at horum librorum pernicioſorum Auctores amplexi ſunt Religionem, quæ hanc iniquitatis damnat doctrinam, quam ipſi neque ſequi poſſunt, neque aliis proponere, niſi evangelicis dogmatibus, & Chriſtiano nomini abrenuntiaverint. *Idem.*

Qui malos legit libros, apertam facit occaſionem peccandi.

Nonne criminoſa temeritas eſt ſeſe objicere periculo peccandi, & ſe prævertendi? Hoc tamen accidit, cum aliquis ſuæ non diffidens infirmitati, malos legens libros peccati quærit occaſionem, & eam occaſionem, quæ ſæpe illis etiam funeſta fuit, qui ſe invulnerabiles exiſtimabant. In apertum ſe objiciunt tentationis periculum; lapſus vero a tentatione non procul diſtat. Amant, atque perquirunt quod malas tantum cogitationes immittit, & malæ cogitationes nonniſi paſſionem; paſſio vero inordinata dumtaxat deſideria producere poſſunt. Hæ cogitationes, atque cupiditates nimis prope ſunt cordi, ita ut in illud impreſſionem minime efficiant, illudque penitus debellent; præterquamquod ex quo voluntariæ ſunt, jam non ſunt a ſcelere immunes. At voluntariæ ſunt in cauſa, hoc eſt in voluptate, quæ ex lectione percipitur; quæ quidem lectio eas ciet cogitationes, quæ alioquin numquam habite fuiſſent. Hic verus eſt dæmonis laqueus ad ciendam voluptatem, & ad corruptæ naturæ propenſionem inflammandam. *Idem.*

Ethnicorum prudentiſſimi malorum librorum lectionem damnarunt.

Ethnicorum prudentiſſimi, ſapientiſſimique funeſta docti experientia cognoſcebant quidem hominum imbecillitatem, ac furentem illam propenſionem, qua in ſenſuum voluptates impelluntur; verum neque principium illius, quod eſt originale peccatum, neque pœnam, neque remedium cognoſcebant; quamobrem non alios ſenſus habebant, quam quos in corrupto ſuo corde inveniebant, nec alia lumina, quam quæ peccati tenebræ illis offundebant. Secundum hos ſenſus, & hæc lumina ſcribebant, & loquebantur. Attamen plures eorum pravos libros tamquam reipublicæ noxios damnarunt; quidam illos ex rebuſpublicis ſui proſcripſerunt; quidam in eorum auctores animadvertendum eſſe cenſuerunt; alii contra hanc pernicioſam ſcribendi rationem invecti ſunt, eam rati originem, veramque cauſam corruptionis morum adoleſcentiæ. *Idem.*

Scimus, licet originale peccatum baptiſmo deleatur, concupiſcentiam, virulentam illam omnium vitiorum originem ſemper in baptizatis ſubſiſtere, eoſque cogere, ut indeſinenter ſibimetipſis invigilent, ſanctoque horrore fugiant quidquid illam poteſt ſuſcitare. Dei Filius hoc nos docet in Evangelio, hoc in imo corde nobis inſpirat per gratiam, nobiſque neceſſaria præbet adminicula, ut noſmet ab hoc domeſtico inimico tueamur. Quis autem negare poteſt quod ipſi fatentur Ethnici, malis videlicet libris excitari, foveri, ali, & in nobis hanc peccati originem roborari? Patet ergo hos libros nonniſi a Principe ſæculi proficiſci, qui chriſtianorum infidelium mentes excæcat. *Idem.*

Pravi libri Epheſiorum exemplo comburendi.

Docere nos voluit Spiritus ſanctus, quid veris fidelibus faciendum ſit de iis libris, quorum lectio periculoſa eſt primorum diſcipulorum exemplo, quod in Actis c. 19. aſſertur: *Multi ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Generoſum primorum Epheſi Chriſtianorum ſacrificium, ac certiſſimum veræ converſionis argumentum æque noſtro ſæculo rarum, ac illud fœcundum eſt pravis ingenii fructibus, comædiis, amatoriis fabulis, ſatyris, libellis diffamatoriis, qui omnes magis periculoſi ſunt, quam ipſi magiæ libri; hi enim mentem dumtaxat prævertere poſſunt, & aliunde apud omnes in odio, & horrore ſunt; illi vero corrumpunt cor, quod facilius, quam ſpiritus ipſe ſeducitur, atque funeſtas habent illecebras ad pleroſque mortales fallendos, eos etiam, qui felicius ingenium ſortiti videntur. *Idem.*

Crimen, quod committunt pravos libros ſcribentes, atque legentes.

Cæci profecto vocandi ſunt horum operum Auctores, quandoquidem minime prævident terribiles turpium harum elucubrationum effectus. Etenim arbitrarine poſſunt ſibi licere ita oblectari, & oblectare alios non conſcientiæ tantum ſuæ detrimento, verum etiam excidio earum animarum, quas ſeducunt, atque prævertunt? Etenim oblectari eſt cum animarum excidio, voluptatem ſuam conſtituere in iis ſcribendis, quæ licentiam inſpirant. Hoc peccatum ſcandali eſt: hoc eſt ſtruere inſidias periculoſiſſimas iis æque, qui ſunt infirmiſſimi, ac iis qui ſanctiſſimi ſunt, quia per hoc cauſa fiunt lapſus plurimorum, tum eorum, qui ævo ſuo degunt, tum eorum qui futuris ſæculis erunt. Profecto libri, qui pernicioſum hoc virus continent, ejus naturæ ſunt, ut nonniſi cum mundo videantur perituri. Verum fatendum quoque eſt non ſanæ mentis eſſe, qui vacat eorum librorum lectioni, qui contra omnes fas, omnemque verecundiam ſcripti videntur, ut animas in vitiorum abyſſum detrudant. Solus abominabilium harum lucubrationum titulus ſufficere debet, ut explodantur, neque illos attingere licet, quin ſuſpicionem ſubeamus vitium probandi &c. *Idem.*

Mali libri ſæpe malis converſationibus deteriores.

De lectione idem dicendum non eſt, ac de converſatione: deſit converſatio, ſæpe vix meminimus eorum, quæ in eadem acta fuere; perfunctoriæ ſunt impreſſiones, & nonniſi primo occurſu metuendæ. Lectio e contra lenius agit, ac irrepit. Quemadmodum tibi integrum eſt, quid potiſſimum velis efficere de libris, ac per otium ponderare ejus verba,

& loquendi modos, qui illic occurrunt; nihil te fallit, nihil te fugit; & Hæreticus, exempli gratia, ſperare poteſt ſe omne illud, quod poteſt, peperiſſe malum, ex quo ſcit cum voluptate illud opus legis; quod in lucem edidit. *P. Stephanus Chamillard in ſermone manuſcripto.*

LICENTIA,

Effuſe in omni intemperantia libidines, incompoſiti mores, Bacchanalia. Solutior æquo vita.

MONITUM.

NON modicum diſcriminis intereſt inter illud vivendi genus, quod in aperta, & procaci vivendi licentia ducitur, & illud, quod mollem vitam dicemus, de quo ſuo loco ſermo erit: In vita molli, ubi omnia vitæ quæruntur commoda, atque omnes mundi hujus deliciæ guſtantur, modus aliquis ſervatur, exiſtimationis ſuæ geritur cura, ſtatum quid deceat ſuum ſpectatur; cum interim ea in licentia, de qua iſtic ſermo eſt, non deſint effuſæ in omni intemperantia libidines, atque Ethnicorum more vita ducatur.

Primum quidem animus erat de ſolis Bacchanaliorum flagitiis loquendi, quo quidem tempore frequentius in omnia vitiorum genera frænum laxatur, atque omnia ad exceſſum prorſus evadunt; verum enim vero, cogitanti mihi vivendi licentiam, effuſaſque libidines non intra illud tantummodo temporis ſpatium contineri; ſæculique licentiam omni tempeſtate graſſari; immo omnem plurimorum mortalium vitam jugem eſſe licentiam, quam neque religio, neque Dei metus, neque temporis ipſius calamitas cohibere poſſunt, æquius viſum eſt eodem titulo ea quoque complecti flagitia; quibus procaces homines quocumque tempore ſe mancipant, quamvis de bacchanaliorum depravata conſuetudine ſim potiſſimum verba facturus.

Hoc in argumento duo tantum evitanda ſunt. Primum ne morum licentia cum licentia fidei confundantur, quod vulgo intelligitur, cum ſermo eſt de flagitioſis hominibus nullam religionem habentibus, vel incompoſitis moribus ſuis accommodatam religionem concinnantibus; de quibus in Titulo de Atheiſmo *verba fecimus: alterum, ne de quolibet vitio ſingillatim fuſior inſtituatur amplificatio, veluti gulæ, impudicitiæ &c. quorum ſingula peculiaris concionis ſunt argumenta; ſed generatim diſſerendum eſt de publicis vitiis, ac ſolutioris vitæ flagitiis, in quo procax licentia conſiſtit.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia hujus argumenti concionum ſyſtemata.

I. PRO effuſis in omni intemperantia libidinibus, quas omnes ſibi fere permittunt bacchanaliorum diebus, hæc inſtitui concionis partitio poteſt. 1. Hæc ſolatiorum genera, quæ ægre quovis alio tempore probantur, hoc culpa vacare non poſſe, quo moderatiſſimus quiſque majorem, quam vulgo, ſibi libertatem permittit, propter periculum ea ſcelera perpetrandi, quæ numquam poſſunt permitti. 2. Quia vitia, in quæ facilis patet lapſus, numquam majus afferunt ſcandalum; ideoque numquam ſunt, quam hoc tempore, nocentiora:

II. Pars Prior. Ut autem luce clarius appareat, quod primum vobis propoſui, numquam videlicet majus eſſe periculum, quam hiſce hilariorum, vel potius libidinum diebus, in graviſſima proruendi ſcelera; per vos mihi liceat (Auditores) diſcrimen illud ſtatuere, quod ſemper habendum eſt inter voluptates, atque ſolatia; non enim omnia ejuſdem generis ſunt, neque omnia in eadem ſcelera viam poſſunt aperire. Solatia quædam omnium ſunt temporum, ac in nullo diſcrimine poſita ſunt, quorum ſolus exceſſus poteſt redargui; hujuſmodi ſunt deambulationes, venatus, corporis exercitationes, quæ & valetudini æque, & voluptati aliquid conferunt. Neceſſitas, qua illa probantur, eadem quovis etiam tempore conſtituit, & lex ea nonniſi moderari poteſt, eorum tempus dirigens, atque nimium eorum amorem coercens. Alia vero ſunt, quæ conſuetudo, quam cum S. Baſilio Dæmonis traditionem vocare poſſumus, in hoc bacchanaliorum tempus invexit; qualia ſunt aleæ, choreæ, nocturni conventus, convivia, quæ non aliud ſunt quam meræ libidines; ſpectacula, ubi pudor, & honeſtas periclitantur; aliaque id genus, quæ jam diu plurimis ab hinc ſæculis abolere conantur Eccleſia, & contra quæ Concionatorum zelus adeo frequenter erumpit. Dico autem, licet ex hujuſmodi ſolatiis nonnulla per ſe culpa vacare poſſint, hoc tempore ut plurimum eſſe nequiſſima. 1. Propter ſpiritus diſpoſitionem, quæ tunc maxima viget, & pravum exemplum, quo omnes fere trahimur; cum enim ita affectus ſibi ſpiritus, quis ſibi promittere poteſt, ſe modum, qui tantopere neceſſarius eſt, non exceſſurum? 2. Quia quidquid nos in aliquod vitium poteſt impellere, ac timorem injicere, ne in illud ruamus, jam impellit, invitat, allicit, illudque etiam probare videtur; conſuetudo, ſocietates, metus ne ab aliis in ludibrium traducamur, digitoque notemur &c. Attamen quis affirmare auſit, hoſce exceſſus innocuos eſſe, vel hæc ſolatia eſſe permiſſa ſub prætextu conſuetudinis, quæ contra Dei legem nequaquam præſcribere poteſt? 3. Quia hæc ſolatia per ſe hoc tempore magna ſunt vitia, quia aſſidua ſunt, quia in illis omne tempus teritur, quia illis ſeſe omnino mortalis mancipat, & quia pleraque vel criminoſa ſunt, vel periculoſa.

Pars altera. Flagitia hæc, in quæ facilis patet lapſus, numquam magis eſſe criminoſa, magiſque vituperanda, quam hoc tempore. 1. Quia hoc potiſſimum tempore majus ſcandalum afferunt, quæ una circumſtantia efficere poteſt nequam, quod ſuapte natura culpa vacaret. Scandalum affertur Eccleſiæ, quæ in fletus erumpit; bonis, qui iteratis pietatis exercitiis nequicquam contendunt hujuſmodi effuſiores libidines tollere; proximo denique, qui occaſionem arripit id faciendi, quod ab aliis fieri intuetur. 2. Quia hæc vitia, & exceſſus frequentiores ſunt, magiſque familiares, quam alio quovis tempore, immo ſunt majores, quod nemo inficiatur. 3. Quia funeſtos exitus habent. Effuſioris quippe licentiæ ſpiritus arripitur, qui non adeo facile abjicitur; habitus contrahuntur, qui difficillime poſſunt aboleri; minus diſponitur animus quadrageſimali jejunio, & pœnitentiæ &c. *Partitio hæc deſumpta eſt ex Auctore ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta.*

Oſtendi quoque poteſt effrænata licentia, ac depravatum vivendi genus, quod hoc tempore regnant, 1. Divinæ juſtitiæ flagella, & ſupplicia in urbes generatim, & in ſingulos peculiariter detrahere, qui effuſioris, proterviæ apertiora tradit indicia. Rationes hæ ſunt, quia hoc tempore in majori Dei oblivione vivitur; graviora pluraque peccata committuntur, ac major divinarum legum contemptus oſtenditur. 2. Hæc flagella, atque ſupplicia vulgo aliquam habere rationem cum peccatis, quæ perpetrantur. Ita convivia, atque intemperantia famem, meſſiumque ſterilitatem; alea bonorum jacturam, ac rei domeſticæ interitum; voluptates, ac profana ſolatia publicas deſolationes, bella, morboſque; Dei oblivio ſecum trahit cæcitatem, finalemque impœnitentiam, quod eſt ſuppliciorum omnium maximum.

III. Circa ea ſcelera, atque flagitia, quæ hiſce libidinum, atque intemperantiæ diebus committuntur; hæc S. Auguſtini verba, quibus eamdem evitandi rationem admonemur, conciones partitionem poſſunt tribuere.

1. Per hos dies, quibus effuſæ in omni intemperantia libidines tot effundunt tenebras in peccatores, Deum oremus, pater ille inquit, ut nos ſuo lumine repleat, ut eas cognoſcere, atque damnare poſſimus: *Deprecanda eſt miſericordia Dei, ut donet intellectum ad iſta damnanda.* 2. Per hos dies, quibus tot ſcelera Salvatoris mortem, & paſſionem inſtaurant, precemur Deum, ut ſanctas nobis affectiones immittat, ut illa fugiamus ac deteſtemur: *Affectum ad iſta fugienda.* 3. Per hos dies, quibus hæc eadem flagitia tot Eccleſiæ dolores, ac gemitus afferunt, Dominum obteſtemur ſuper aris expoſitum, ut illa nobis dignetur ignoſcere. *Miſericordiam ad ignoſcenda. Ex Moralibus ſermonibus. Sermone de Dominica Quinquageſimæ.*

IV. 1. Hi bacchanaliorum dies impiis quidem cæcitate perculſis, atque palam præferentibus ſigna unde reprobatos eſſe, atque a Deo derelictos innoteſcit, dies ſunt libidinum, ganearum, omniſque intemperantiæ. 2. Chriſtianis vero fidelibus fervorem, atque pietatis exercitationem hoc tempore, quod alii in intempeſtivis conviviis, alea, & impudicitia traducunt, inſtaurantibus, dies ſunt gratiarum propitiationis, miſericordiæ, indulgentiæ, atque ſalutis.

V. Cum hebdomadæ hujus Evangelium de cruce, ac Salvatoris morte loquatur. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur, & illudetur, & crucifigetur,* &c. in duabus concionis partibus oſtendi poteſt.

1. Peccatores, procaceſque homines hoc effuſioris licentiæ tempore Jeſu Chriſti crucem evertere. 1. Quia illius fructum auferunt, ac meritum inutile efficiunt. 2. Quia ſeipſos inimicos crucis Chriſti profitentur, quemadmodum S. Paulus loquitur, ea ſecuti dogmata, quæ Cruci ejuſdem ſunt prorſus oppoſita. 3. Quia omnia Crucis veſtigia in Chriſtianiſmo delent, qui non eſt amplius vita crucis, ſed voluptatum, & ſolatiorum.

2. Hi peccatores ipſi novo impietatis ſcelere eamdem crucem iterum extollunt, & erigunt. 1. Quia eaſdem inſtaurant contumelias, quibus Dei filius affectus fuit: *Tradetur, illudetur, crucifigetur.* 2. Quia illum majori cum cognitione offendunt. 3. Quia injuriæ, quas illi inferunt, longe graviores ſunt, acerbioreſque.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

SS. Patres. CUM Bacchanaliorum, hilariorumque nomina ignota fuerit Sanctis Patribus, non ſecus ac effuſiores in omni intemperantia libidines, quibus fidelium plerique hoc ſe mancipant tempore, nullo loco afferre poſſumus, aut verba, quibus eædem ſub hoc nomine damnentur: ſed cum Ethnicis alii fuerint dies feſti, ludiſque & ſpectaculis ſuis deſtinati, contra quos Patres omni niſu, ac vi invecti fuere, ut ab iiſdem Chriſtianos homines deterrerent, ne & ipſi eorum ſordibus polluerentur; qui eorum auctoritate voluerit uti in argumenti hujus ſermone, ea quæ Patres dixere de prophanis temporum ſuorum oblectamentis, ad hujus temporis ſolatia, quæ nihil minus noxia ſunt, poſſunt transferri. Itaque, ne uti in adagio eſt crambe recocta enecet, conſuli poſſunt quæ a nobis dicentur, dictaque fuerunt in titulo de *ſolatiis, de ſpectaculis, ludis, & choreis, de conſuetudine & ſcandalo.*

Præterea peculiariter videnda ſunt, quæ Salvianus ait lib. 7. *de Gubernat.* ubi hujus temporis vitia per hypotipoſim deſcripſiſſe videtur; necnon conſulendus eſt S. Petrus Chryſologus ſermone 155. ubi in eos declamat, qui perſonam induunt, quod nunc paſſim fieri conſuevit.

In Titulis, quos memoravi, invenietur quid Patres dixerint adverſus aleam, choreas, comœdias, convivia, aliaſque id genus procaciores libidines, quæ per hoſce bacchanaliorum dies committuntur, quibus in id unum mortales operam navare videntur, Ethnicorum flagitia, libidineſque rurſus in conſuetudinem revocaturi.

Aſceticis, aliique. Lancicius *Opuſc.* 11. *cap.* 22. agit de devotionibus, quas fidelis bacchanaliorum diebus exercere poteſt, ad evertendam Domini iracundiam, qui hoc tempore magis, quam alio quolibet læditur.

Engelgrave *part.* 2. *Lucis Evangelicæ in Domin. Quinquag.* pluribus oſtendit exemplis, a peccatoribus hoc tempore Filium Dei crucifigi.

Qui loqui voluerint de ſpirituali cæcitate, quæ numquam vel gravior eſt, vel magis metuenda quam hoc tempore, quo tenebræ, & flagitia debacchantur, videri poſſunt ea, quæ hoc in titulo a nobis indigitata fuere, eoſque auctores conſulere, qui de eadem pertractant.

Delrius *in opere Mariano lect.* 4. *de Paſſione Domini* loquitur de ſceleribus, quæ, dum bacchanalia fuerunt, perpetrantur.

Polydorus quoque Virgilius *lib.* 3. *c.* 17. loquitur de flagitiis, quæ per hoſce dies graſſantur; & lib. 5. agit de larvatis, & perſonatis hominibus.

Thomas Stapletonus, *orat.* 8. *Academ. tract. de bacchanalibus.*

Qui de ſolatiis generatim, vel ſpeciatim de ludo, ſpectaculis, intemperantia loqui volunt, hos adeant titulos ubi eos memoravimus auctores, qui de iiſdem loquuntur.

In libro, qui inſcribitur: Chriſtianarum familiarum Pædagogus ampliſſima occurrit admonitio ad ea evitanda flagitia, quæ bacchanalium diebus committuntur.

Liber, cui titulus. *Bellum vitiis*, prælio quinto contra licentiam, mala, quæ hæc gignit, oſtendit, quæ facile ad bacchanalia transferri poſſunt, ubi longe ſunt pernicioſiora.

In homiliis S. Chryſoſtomi in S. Matthæum c. 11. exhortatione 2. adeſt invectiva contra turpia, & criminoſa ſolatia, quæ non longe ab illis abludunt, quæ in bacchanalibus, præcipue vero propter larvas, atque perſonas videntur.

Joly in mixtis Operibus ſermonem habet de modo ſancte bacchanalia traducendi. Concionatores.

Idem *tom.* 2. *Propoſ.* in Quinquageſimæ Dominica alterum habet contra temporis hujus libidines.

P. de la Colombiere Tomo 3. habet quatuor deinceps ſermones de extremis bacchanalium diebus, qui tamen diverſorum ſunt argumentorum, & qui alio quovis tempore prædicari poſſunt.

Auctor ſermonum Chriſtianorum ſermone pro Quinquageſima loquitur de tribus præcipuis flagitiis, quæ paſſim hoc tempore graſſantur.

Auctor ſermonum moralium in eamdem Dominicam oſtendit, his tenebrarum diebus Domini Paſſionem iterari.

Abbas de Monmorel tomo 1. habet homiliam, & ſermonem in hanc eamdem Dominicam.

In Dictionario Morali tomo 1. plures habes de bacchanalibus conciones cum pluribus animadverſionibus de hujus temporis libidinibus, atque flagitiis.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta tomo 2. particularium ſermonum de bacchanalibus ſermonem habet; ubi & alium de intemperantia, & in conviviis exceſſu, alium etiam de ludis, & alium de ſpectaculis, choreis, atque comœdiis.

In Titulo de ſolatiis generatim videri poſſunt, qui hac de re egerunt, uti etiam in titulo de ſcandalo; nullum enim tempus eſt, in quo ſcandala vel frequentiora ſint, vel periculoſiora.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes ſcripturarum huic argumento.

NON *ſequeris turbam ad faciendum malum.* Exodo 23.

Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Exod. 32.

Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere voluerunt. Jobi 34.

Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Pſal. 48.

Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Pſalm. 34.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Pſalm. 118.

Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Si dixerint: Veni nobiſcum .... ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum a ſemitis eorum. Prov. 1.

Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Prov. 2.

Poſt concupiſcentias tuas non eas. Eccli. 18.

Extrema gaudii luctus occupat. Prov. 14.

Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis? Eccleſ. 2.

Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Sapient. 5.

Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus. Iſaiæ 28.

Domine aperi oculos iſtorum, ut videant. 4. Reg. cap. 6.

Hæc eſt gens, quæ non audivit vocem Domini Dei